




68
13 C
66

FRANCISCI TVRRIANI DOGMATICVS DE IVSTIFICATIONE AD GERMANOS ADVERSVS LVTERANOS.

EIVSDEM

Dogmaticus de Electione diuina ad Illustriss. & Reuerendiss. D. Othonem Truchsen. Cardinalem Augustanum.






ROMÆ, apud Antonium Bladum Impressorem Cameralem

M D LVII.

FRANCISCI TVRRIANI DOGMATICVS DE IVSTIFICATIONE AD GERMANOS ADVERSVS LVTERANOS.



AMETSI mihi Germani cōſcius ſim, infra eos eſſe, qui de dogmate Iuſtificationis erudite, pieq; aduerſus Luteranos hactenus ſcripſerunt, qui plurimi ſunt, tamen quia neminem oportet ingenii, ſtudii, & ſcientiæ ſuæ negligere facultates, quin potius diſcere diligenter, quæ cum aliis benigne communicet, neque defatigari ſtudio inueniendi, & illuſtrandi veritatem, & iis ſiue ſermone, ſiue ſcripto opitulari, qui ea per ſe aſſequi nō poſſunt, contuli me non quidem ad ſcribendum aliquid nouum, ſed ad ea, quæ obſcure, & conciſe à magnis viris ſcripta erant, limatius, & ſubtilius explicandum. Hæc enim ſunt, quæ magnum quoq; Dyoniſium, quem libentiſſime ſequor, ad ſcribendum de diuinis nominibus, poſt diuinū Hierotheum, eundemq; magiſtrum ſuum, vt idem teſtatur, permouerunt. Etenim ſi capita quædam, & loca valde illa quidem neceſſaria, & magni ad hanc cauſam ponderis, quæ leuiter attigerunt, copioſius explanaſſent, nunquam eo dementiæ, & ſtultitię proceſſiſſem, vt aut me exiſtimarem acutius, & diuinius videre, aut eadem repetendo actum agerem, vt hoc illis obiter reſpondeamus, qui fortaſſe nos mirabuntur, quòd cum multi, iidemq; perfecti auctores de hoc ante nos optime ſcripſerint, tanquam illi non ſatisfecerint, ipſi rurſus de eòdem ſcribamus. Acceſſit prǽterea alia ſcribendi ratio propria, quòd cum mihi hoc tempore vſus multus eſſet cū Theobaldo Thamero Germano optimo, ac valde docto viro, & in quęſtionibus Luteranoꝝ multum, diuq; exercitato, & trito, incideretq; ſæpe nobis ſermo, & diſputatio de iſtoꝝ præcipuo dogmate iuſtitificationis, quod ille ſcite Phantaſma appellare ſolebat, vt quod ei quoque aliquando inani ſpecie veritatis illuſiſſet, cum ego illum, & ille me viciſſim diſſerentem audiret, rogabat & ſæpe, & vehementer, vt ipſe quoq; de ea re ſcriberem, quod cumfacere cœpiſſem, oſtendiſſemq; ei, tum magis, ac magis vt perficerē, inſtare, & vrgere affirmans interim tū vos, tū Luteranos quoq; ingenia, & ſtudia

nosset, libenter, & vtiliter lecturos esse. Breui itaq;, Deo adiutore, Dogmaticũ de Iustificatione absolui, quem vobis inscripsi, vt tanq̃ vestrum, & ad vos missum, & diligentius custodiatis, & maiore etiã studio relegatis. Ne vero falsis Luteranorum rationibus ex falsis scripturæ sanctæ explanationibus ductis aliqui vestrũ fortassis occupati, atq; anticipati, quasi spinis fallaciarũ crescentibus, verbũ veritatis iuxta parabolã euãgelii, quod Deus auertat, aliquãdo suffocetis, respondebo prius ad eas, si nõ omnes, ad difficiliores tamen, & quas illi magis iactare solent, vt quasi spinis prius radicitus euulsis, semen tem postea veræ doctrinæ facilius, fructuosiusq; excipiatis, optime iam intelligentes; Primum quidem, Quomodo Abraam exemplum iustitiæ nostræ ex fide simul, & operibus iustificatus sit, imo ii oẽs, quos Apostolus in epistola ad Hebræos commemorat, in quo recte intelligendo magna quæstionis huius momenta pendent, si enim isti Abraæ iustificationem recte intelligerent, nunquam profecto de nostra disceptarent. Deinde de operibus legis, Quæ sint & quomodo, ac quando ex eis iustitia existat, aut non existat. Præterea, Quomodo fides, quæ in Christo valet, per dilectionem operetur, quæ est magni quoque ad hanc quæstionem momenti animaduersio. Tum de satisfactione Christi pro nobis, Quomodo, & quibus proficiat, in qua etiam re male intelligenda maxima pars erroris Luteranorum versatur. Postremo, De imputatiua iustitia, & de meritis iustitiæ, eorumq; ratione. His enim capitibus omnis fere de iustificatione disputatio a me, vt existimo, comprehensa est. Ac primum quidem, ne se isti existiment esse barbaros nobis, quasi non intelligentibus virtutem vocis eorum, aut nos, sicut Apostolus ait, in aerem loqui, aut insanire calumnientur, describam hic proprii dogmatis sentẽtiam ex principe eorum doctore & pseudo Apostolo Martino Lutero, quem sequuntur, & qui sectæ eorum nomen dedit. is enim in comment. epist. Pauli ad Galatas c. 2. sic scripsit, Is autem præsentis causæ status est, q; Iesus Christus Dei filius moritur in cruce, & portat meum peccatum, legem, mortem, diabolum, infernum in corpore suo. Hi hostes, & tyranni inuicti me premunt, & mihi iam negotium faciunt, ideo solicitus sum, quo modo ab eis liberer, iustificer, & saluer. Hic non inuenio legem, opus, aut charitatem aliquam, quæ me possit ab eis liberare, sed solus Christus tollit legem, occidit peccatum meum, destruit mortẽ meam in corpore suo, atque hoc modo euacuat infernum, diabolũ iudicat, crucifigit, & detrudit ad infernum. In summa, omnia, quæ

me antea cruciauerunt,& oppresserunt,illa Christus è medio sustulit,spoliauit,ostentauit palam, & de illis per se ipsum triumphauit, vt iam amplius non possint dominari, sed cogantur seruire mihi. Ex his satis intelligi potest,hic nihil aliud oportere agi, quàm audire sic gesta esse,& indubitata fide apprehendere, eaq; est verè formata fides. Postea Christo sic fide apprehenso, me mortuo legi, iustificato, & liberato à morte, diabolo,inferno,facio bona opera, diligo Deum,ago gratias,exerceo charitatem erga proximum. Sed illa charitas, vel sequentia opera nec informant meam fidem, nec ornant, sed fides mea informat, & ornat charitatem. Hæc nostra est theologia,& paradoxa ratione mirabilis,quòd non solum coecus, & surdus sum legi, & liber ab ea, sed plane ei mortuus. Hanc ergo istorum pseudotheologiam sic nos refellemus, sic oppugnabimus,& coarguemus,vt plerique eorum, vt speramus & confidimus non nos insanire,sed prophetare,contra vero ipsos,doctoresq; ipsorum nō prophetasse hactenus, sed insanisse plane intelligāt. Nos enim ne verbum Dei, sicut isti faciunt, adulteremus, scientes à quo didicerimus, vt Paulus ad Timotheum scripsit, illud quanto possumus studio sequimur, & secuti semper sumus, quod nos beatus Clemens in epistola ad discipulos monuit. Diligenter (inquit) obseruandum est, vt lex Dei cum legitur, non secundum propriā ingenii virtutem,vel intelligentiā legatur,vel doceatur. Sunt enim multa verba in scripturis diuinis,quæ possunt trahi ad eum sensum quem sibi vnusquisque sponte præsumpsit; sed fieri non oportet; non enim sensum, quem adulteretis,extrinsecus alienum,& extraneum debetis quærere, aut quoquomodo ipsum scripturarum auctoritate confirmare, sed ex ipsis scripturis sensum capere veritatis. Ideo oportet ab eo intelligentiam discere scripturarum, qui à maioribus secundum veritatem ab eo traditam seruauit, vt ipse possit,quæ recte susceperit, competenter asserere. hæc Clemens. Clemēs.

Quare vt aggrediamur iam respondere ad ea loca, quæ ex scriptura male ab istis explanata, & intellecta citantur, illud primum obiiciunt ex Roma. 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius; per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quòd si ex operibus nostris iustificemur, non iam gratis (inquiunt) contingat redemptio, sed ex debito. Recte quidem, si ex operibus nostris secundum carnē, aut per nostra opera bona quasi ex nobis iustificari diceremus, at non hoc dicimus, absit, non iustificamur, inquam, ex operibus, quæ absolute,& propria nostra sint, vt sunt opera ex solis faculta- 1 argum.

tibus naturæ nostræ profecta, quæ cum non sint ex fide, neq; bona esse possunt, sed ex operibus bonis, & bene placentibus, vt Apostolus vocat, quæ sunt opera Dei, qui tanquam causa συνεκτικὴ & αὐτοτελὴς, vt philosophi loquuntur, idest, continens, & per se perfecta operatur nobiscum in nobis velle bonum, & perficere bonũ, quod ei placeat, nos enim bonorum operum causę sumus adiuuantes tantum, neque enim Deus illa in nobis operatur, nisi nos sequamur, hæc vero causa adiuuans non est perfecta causa, vt est illa quidem, quæ συνεκτικὴ appellatur, quare non iustificamur per opera bona quasi ex nobis, sed ex Deo, cuius gratia & dono fit, nobis sequentibus, vt sint bona, & bene placentia, vnde huiusmodi bona opera, idem Apostolus appellat charismata Dei, & dona Dei, sed vnusquisq; (inquit) proprium charisma habet ex Deo, alius sic, alius vero sic, charisma enim vocauit hic τὸ κατόρθωμα idest, virtutem, vt continentiæ, castitatis, & similium, vt Chrysostomus in libro de virginitate notauit. Et alias, sine poenitentia enim (inquit) sunt charismata, siue dona, & vocatio Dei, charismata Dei vocauit illa omnia, ex quibus vocat Deus ad adoptionem filiorum, & gratiam iustificantem, quæ sunt fides, & opera spiritus ex fide. Et beatus Petrus 2.c.1. Deum ait, donasse, quæ ad vitam, & pietatem pertinent, hæc autem sunt fides, & opera spiritus. Et Paulus ad Ephesios 2. gratia (inquit) saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis, donum .n. Dei est, quod quidem nõ propter fidem tantum dixit, sed etiam propter opera bona, & beneplacẽtia, quæ dona item Dei sunt, ipse enim operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate. Vnde etiam dicuntur opera Dei, & virtutes Dei, hoc est enim (inquit) opus Dei, ut credatis in eũ, qui misit me, opus Dei dixit nõ credere tm̃, sed voci eius obedire, idest fidem in mãdatis per dilectionẽ operari, quę est fides εὐδοκίας, idest, beneplacẽs, vt scriptura vocat Eccl. 15. Et beatus Pet. 2.c.1. vt virtutes (inquit) depromatis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum ἀρετὰς Dei, idest, virtutes diuinas appellat opera bona, & beneplacentia, quæ ostendere debemus, postquam semel sumus per baptismum illuminati, quæ Deus operatur in nobis, si eum secundum electionem sequamur, ex quo ἀρεταὶ dictæ sunt, quasi αἱρεταὶ idest, eligendæ. De istis Dei virtutibus ait Apostolus, creati, scilicet creatione spirituali per baptismum in bonis operibus, in fide inquam, & spe, ac dilectione, vt in illis deinceps ambulemus, dilectio enim Dei, & proxi-

mi, quæ a fide, & spe seiuncta esse non potest, omne genus virtutũ Dei, siue bonorum operum, & beneplacentium complectitur, quę etiam dicuntur fructus spiritus, quos Paulus in epistola ad Galat. enumerauit. Si igitur opera ista bona, & beneplacentia non ex nobis tanquam ex nobis sunt, sed ex Deo, si inquam sunt dona Dei, qui ex eis iustificetur, gratis profecto iustificetur, ex donis enim Dei iustificari, gratis iustificari est, hoc .n. significat δωρεὰν δικαιοῦσθαι quasi dicatur ex dono, siue ex donis iustificari non quidem secundum debitum, quasi hoc donum debeat, qui sit dominus omnium, & creator, ac proinde creaturæ debere nõ possit, sed vt subiungit, per gratiam ipsius. Sequitur deinde, Per redemptionem ipsius, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, vt iam perinde hoc sit, quasi diceret, iustificati per fidem Christi pro nobis mortui, per fidem dico gratis, idest nõ ex nobis, Dei enim donum est, vt idem Apostolus ait in epistola ad Ephes. Rursus quia fides est Dei donum, quod imputatur nobis ad iustitiam non secundum debitum, sed secundum gratiam, addidit per gratiam ipsius, vt sit totius orationis constructio, ac sententia, iustificati per Christi pro redemptione nostra mortui fidem Dei donum imputatã nobis ad iustitiam per gratiam ipsius.

2 Alius locus, qui nobis obiicitur, est Roma. 4. operanti merces non imputatur, secundum gratiam, sed secundum debitum, ex quo sic concluditis, ergo absque operibus iustificamur per gratiam, vt gratia sit gratia. Dicam hic, & quidem merito aduersus istos, quod Eusebius Pamphilus in libro, quem scripsit aduersus Marcellum Ancyranum, qui scripturas corrupte, & vitiose citabat, πᾶν σῶμα τῶν λέξεων ἀκροτηριάζων, καὶ τὸν μὲν πάντα εἱρμὸν ἀποκρύπτων τῶν ῥηματίων, διαντιλαμβανόμενος καὶ τούτων κακούργως ποιούμενος διαβολὴν, interpretabor latine, toto (inquit) corpore sententiæ verborũ mutilo, & quasi decurtato, & tota consequentia dissimulata, quibusdam voculis adhærebat. quas malitiose calumniabatur, idem hic peccant isti, quos oportebat integre locum recitare, dixerat enim in extrema parte capitis superioris, iustificari hominem per fidem absq; operibus legis, quæ solis Iudæis data erat, probaueratq; hoc subiungens, an Iudæorum Deus tantum? nonne & gentium? deinde proximo capite docet similiter iustificari hominem per fidẽ absque operibus secundum naturam, vt quidem Abraam iustificatus est, quid enim (inquit) inuenisse dicemus secundum carnem (est enim hyperbaton vt postea docebo) idest, secundum naturam A-

braam patrem nostrum? an dicemus fortasse iustificatum esse ex operibus secundũ carnem? qualia erant opera, quæ φυσικῶς facie- Abrahã ante fidẽ bat, anteq̃ crederet, erat enim ante fidẽ, vt Magnetes vetus, & ecclus. auctor ad Theostenẽ scripsit, benignus, continens, iustus, & aliis virtutibus præditus. Sane (inquit) si ex operibus, scilicet secundũ carnẽ (vt iterũ repetamus ἀπὸ κοινοῦ, quæ est figura frequens in scripturis) iustitiæ laudem inuenit, apud homines inuenit, qui vident ea, quæ apparent, & non apud Deum, qui fidem cordis intuetur, neque iudicat secundum faciem, vt homines solent. Quid enim secundum spiritum inuenerit Abraam, testatur scriptura, quæ dicit, credidit Abraam Deo, & reputatum est ei ad iustitiam, fides enim non est opus secundum carnem, idest, opus ex nobis, quasi ex nobis, sed donum Dei. Deinde reddit causam, cur iustitia, & laus Abraæ ex operibus secundum carnem iustitia, & laus esset apud homines, non apud Deum, quia operanti (inquit) scilicet secundum carnem (rursus ἀπὸ κοινοῦ) merces imputatur non secundum gratiam, sed secundum debitum, homo enim homini debere potest, non Deus, quare iustitia ex operibus secundum carnem apud homines tantum imputatur, non operanti autem, scilicet secundum carnem, hæc enim opera eiicit, sed secundum spiritum Dei, idest, credenti, & fidem per dilectionem operanti iustitia imputatur apud Deum secundum gratiam, & fides ipsa, atque opera spiritus ex fide item imputantur secundum gratiam ad iustitiam. Sed hunc locum Apost. copiosius paulo post cum de iustificatione Abraæ agemus, explanabimus, si quid interim hic desiderabitur, illinc petatur.

3 Obiicitur alius locus ex eodem capite Rom. 4. ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio omni semini, nostra autem opera (inquiunt) sunt imperfecta, ergo promissio incerta, & infirma esset, si penderet ex dignitate operum. Hic quoq; suo more abrumpunt cohærentia. Cum enim vellet Deus vnum populum ex gentibus, ac Iudæis congregare, salutemq; illis per fidem tribuere, vtrumq; populum in Abraam tanquam in exemplo ad imitandũ, antequam hæc in vnum congregatio fieret, delineauit, docens Abraam ante circuncisionem iustificatum esse ex fide, qui neque post circuncisionem quidem secundũ legem Moisis uixisset, vt quę non dum data esset, vnde patrem multarum gentium illum appellauit, vt scilicet, tum Iudæi, tum gentes in illum intuerentur, & vt neque gentes circuncisionem, neque Iudæi præputium curarent, sed potius sicut Apostolus ait, si circuncisus vocatus esset, non esset illi

curæ

curæ de præputio, & si in præputio vocatus esset, non esset cura de circuncisione, sed fidem omnes sectarentur. Docuit itaq; fidem antiquiorem esse circuncisione, & lege præstantiorem, vt quæ remissionem peccatorum, & salutem animæ afferret, cum lex tamen neutrum horum perficere posset, non enim, vt Apost. ait, iuxta cõscientiã perfectum faciebat mundans peccata vitę, & morũ, imo irã operabatur, sine vlla miseratione, vt idem Apostolus ait, eum interficiẽs, qui legem irritam faceret. Reddit deinde causam, cur Deus ex fide pactionem de benedictione spirituali, quæ iustitiam, remissionem peccatorum, & hæreditatem salutis continebat, cum Abraam, & omnibus filiis promissionis fecisset, ideo enim (inquit) ex fide, vt firma sit promissio. Etenim si promissio benedictionis esset ex operibus secundũ naturam, quæ non erant ex fide, qualia erant opera Abraæ secundum carnem, idest, antequam crederet, aut ex lege operum, solis Iudæis data, quæ similiter non erat ex fide, sicut Apostolus ait, sed qui fecerit ea (inquit) viuet in eis, esset profecto promissio infirma, & inconstans, quia penderet ex nobis, nostraq; infirmitate, inconstantia, & imperfectione, & inæqualitate, at quę ex Dei donis, qui fidelis est, & præpotens, & largus, & minime mutabilis, pẽdeat, hæc firmissima est. Ipse ergo donat fidem perfectam, & dilectione consumatam, quam semper, & omnibus in denarium gratiæ iustificantis computare promisit, ex quo beatus Petrus fidem appellauit ἰσότιμον δικαιοσύνῃ, idest, æqualis prætii, & æstimationis in iustitia, quæ quidem quia Dei donum est, idcirco promissio iustitiæ ex fide, firma, & stabilis est, & quæ neminem fallit. Deum enim non poenitet donorum suorum, neq; potest poenitere, quin ex eis vocet per gratiam suam semper, & omnes ad iustitiam, vt promisit, sine poenitentia enim sunt dona, & vocatio Dei, vt Apostolus ait, quod nihil aliud significat, quàm quod hic ait idem Apost. firmam esse, & immutabilem promissionem Dei ex fide, non ista Luteranorem ψιλῇ, carnali, & imperfecta, sed ex fide spirituali, & consumata per dilectionem, quæ dilectio omnia opera spiritus complectitur, quæ sunt dona, & charismata Dei, quæ nobis adiuuantibus, in nobis Deus perfecte operatur. Illud itaq; recte, cum dicunt, opera nostra imperfecta esse, scilicet opera secundum carnem, & opera legis, si fiant quasi opera legis, idest, non ex fide, sed sicut scriptum erat, qui fecerit ea, viuet in eis, at fides Dei, & opera secundum spiritum dona perfecta sunt, & data optima, ex quibus firma existit promissio iustitiæ secundum gratiam, quæ semper imputantur ad iu-

ſtitiam, quorum finis eſt ſalus animæ.

4 Quarto loco obiicitur, ſicut Abraæ imputata eſt fides ad iuſtitiã ita & nobis credentibus imputari. Et hoc recte, ſed illud male, quod exiſtimant fidem tantum imputatam eſſe Abraæ ad iuſtitiam, cum fuerit imputata fides ſimul cum obedientia fidei, quæ in mandatorum operatione verſatur, ſed de hoc copioſius capite proximo, relegite locum, & inde aſſumite, quæ hic, ne eadem repetantur, prætermiſimus.

5 Rurſus ex epiſtola ad Galatas c. 3. ſic calumniãtur, ipſe (inquiũt) dedit ſemet ipſum pro peccatis noſtris, vt eriperet nos de præſenti ſæculo nequam, hoc autem (inquiunt) abſque vllis noſtris operibus factum eſſe, nobiſq; per alienum meritum contigiſſe, quare paſſiue nos iuſtificatos eſſe. Confitemur dediſſe ſeipſum pro peccatis noſtris, vt eriperet nos de præſenti ſæculo nequã, ideſt, vt ſublatis peccatis transferret nos in regnum ſuum, hoc autem factum quidem eſt abſque vllis noſtris operibus ſecundum naturam, & abſq; operibus legis, quaſi operibus legis, non tamen abſque operibus Dei, ideſt, quæ ipſe nobis donat, ipſe enim donauit, ſicut beatus Petrus ait, omnia, quæ ad vitam, & pietatem pertinent, ideſt, fidem ſimul, & opera ſpiritus, quibus eum in ſpiritu, & pietate colimus, quę omnia appellare ſolet ſcriptura εὐσέβεια, quæ promiſſionem habet, ſicut Apoſtolus ait, vitæ, quæ nunc eſt, & futurę, per hæc enim Deus adoptat in filios, iuſtificat, & abſoluit à peccatis, & ſaluat, quæ ſunt magna, & prætioſa promiſſa, quæ, (vt idem Petrus ait) per gloriam, fidei ſcilicet, & per virtutem, ideſt, per omne opus bonum, & bene placens nobis donauit. Cum ergo ait, tradidit ſemet ipſum pro peccatis noſtris, vt eriperet nos de præſenti ſæculo hoc, quæſo, vtrum nos dicat nihil agentes, an aliquid? certe aliquid, nempe credentes, vt Apoſtolus ait, in eum, qui ſuſcitauit Ieſum dominum noſtrum à mortuis, qui traditus eſt propter noſtra delicta, & reſurrexit propter noſtram iuſtificationem, quod quidem credere opus Dei eſt, vt ait Dominus in euãgelio Ioannis. credentes inquã, & obedientes mandatis eius, tradens enim ſemetipſum pro peccatis noſtris, factus eſt, vt idem Apoſtolus ait, omnibus obtemperantibus cauſa ſalutis æternæ. Hæc ergo opera, quæ per Dei gratiam operamur in eum credentes, & ei obtemperantes, quibus promiſſã benedictionem conſequimur per gratiam eius, efficiuntur nobis merita ſecundum gratiam. Quare non ex merito alieno, vt iſti dicunt, ſe dex meritis noſtris nobis à Deo donatis iuſtificamur, non

passiue, quæ est istorum vox noua, & prophana. Nos enim causa sumus operum bonorũ, & beneplacentium, non quidem αὐτοτελὴς, idest, perfecta, qui est Deus, sed causa adiuuans, quare sumus quoque in iustificatione adiutores Dei, gratiam eius antecedentem secundum electionem sequendo, quod scriptura vocare solet ambulare cum Deo, quod solum requirit à nobis Deus, vt ait propheta Michæas. Valeat ergo istorum iustitia passiua, aliena quidem à iustis Dei, & aliena à sanctis scripturis, iustis enim Dei, qui per fidem operantur iustitiam, dominus, qui solus iustificat, iuxta parabolam euangelii de operariis vineæ ex pactione benedictionis spiritualis cum Abraam, & omnibus filiis promissionis facta, tolle (inquit) quod tuum est, non dixit, quod alienum est, sed quod tuum est, ipse enim donat nobis iustitiam, qui ea etiam donauit, ex quibus iustitiam donat, vt firma sit promissio ex donis suis, & ne quis tanquam de suo proprio, & non donato glorietur. Nisi forte putant, quod stultum est, denarium illum diurnum in coelo tantum operariis computari, & non hoc tempore, cum tamen pietas, quæ est cultura vineæ, promissionem habeat, sicut Apostolus ait, vitæ, quæ nũc est, & futuræ. Qui ergo sumus causæ adiuuantes operum bonorum, & beneplacentium, quæ ad iustitiam nobis imputantur, simul sumus causa, sine qua non ipsius iustitiæ, quæ, vt beatus Cyrillus in comment. Esaiæ diffiniuit explanans illum locum, formaui te puerum meum, est forma immissa ab spiritu sancto in animam per iustificationem, & sanctificationem, qua formatur in nobis Christus, idest, qua efficimur conformes imagini filii Dei, & iusti, sed aduersus iustitiam istam imputatiuam, & passiuam, vt isti loquuntur separatim alio capite prolixius scribam.

6 Illud item aduersus nos proferunt ex eadem epistola ad Gala. 2. scientes quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi, nisi, & sola (inquiunt) synonyma sunt, ergo sola fide iustificamur. Docebimus c. proximo vt non sit vtile, & perfectũ fundamentum sine super ædificatione, neque lampas sine oleo, neque massa sine fermento, neque semen ad seminandum sine instrumentis seminandi, sic neque fidem vtilem esse, neque perfectam absque obedientia fidei in operatione mandatorum versante, quæ per dilectionem superædificatur super fundamentum fidei. Quare vt qui loquitur de vtili fundamento, vtili lampade, vtili massa, vtili semine, simul loquitur de fundamento, & superædificatione, de lampade, & oleo, de semine, & instrumentis sic cum scriptu-

ra de vtili, & iustificante fide loquitur, de fide, & de operibus spiritus ex fide loquitur. Ergo cum Apostolus ait, quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi, perinde est, quasi diceret, nisi per fidem, & opera spiritus ex fide, ita vt non nisi ex fide simul & operibus iustificetur homo.

7 Praeterea Gal. 2. non abiicio (inquit) gratiam Dei, si enim per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est, similiter (inquiunt) omnibus qui volunt opera esse adiuuantia fidei, frustra mortuus est Christus. Cõfitemur pro redemptione nostra mortuum esse Christum, scilicet vt credentes in eum, qui suscitauit Iesum a mortuis, & fidei obedientes, vt faciamus quaecunque vult, iustificemur ex fide, & obedientia fidei. Etenim si lex Moisis satisfuisset ad iustificandũ, idest, si iustitia, quae erat ex lege, suffecisset homini, non opus fuisset Christi, frustra mortuus esset. Similiter in operibus secundum carnem, siue secundũ naturam, si ex illis iustificaretur homo, non opus fuisset, vt Christus pateretur. Quia vero neque lex sufficiebat ad remissionem peccatorum, idest, ad iustitiam in salutem animae, neque opera secundum carnem, idcirco Christus mortuus est, vt per fidem in sanguine ipsius iustificaremur. Nos itaque non abiicimus gratiam remissionis peccatorum, qui legem confitemur iram operari, non remissionem, & opera secundum carnem gloriam tantum habere apud homines, non autem apud Deum, fidem vero Christi, & opera secundum spiritum ex fide eius, dona Dei esse, quae secundum gratiam Dei computentur nobis ad iustitiam in remissionem peccatorum, & salutem animae, & coelestis haereditatis possessionem.

8 Obiicitur rursus, quod ait Apost. c. 3. Arbitramur hominem iustificari per fidem absque operibus legis, cum opera legis, non solum sint, quae ad iudicia, & cerimonias pertinebant, sed quae ad decalogum, vt non moechari, non occidere, & cetera, quae in cordibus hominum scripta sunt, si ex istis (inquiunt) homo non iustificatur, vt Apostolus affirmat, sequitur, vt ex nullis operibus iustitia existat. Si verba Pauli diligenti studio isti obseruarent, idem Apost. esset eis huius loci, & similium interpres. Ait enim c. 9. Israel sectando legem iustitiae, ad legem iustitiae non peruenit, subiungit deinde rationem quia (inquit) non ex fide, sed quasi ex operibus scilicet legis. nõ dixit, nõ ex fide, sed ex operibus legis, sed quasi ex operibus, vt intelligamus aliud esse ex operibus legis, aliud ex operibus legis, quasi ex operibus legis, sicut aliud est, quod dicitur ex nobis, aliud

ex nobis, quasi ex nobis, vt idem Paulus docuit, satis itaq; aperte admonuit, nos hæc opera legis dupliciter considerare, aut simpliciter, aut quasi opera legis, ac duplici illa quidem ratione fieri posse, aut quasi opera legis, aut simpliciter, & non quasi opera legis. Opera enim legis, vt non cõcupiscere, nõ moechari, & similia, quæ sunt, vt dixi, scripta in cordibus, fiunt quidem quasi opera legis, cũ fiunt, vt erant in lege sancita, vt qui faceret ea, viueret in eis, & qui non faceret, non viueret, sed potius sine misericordia tanquam prævaricator moreretur, lex enim iram operabatur. Quare ex operibus legis, vt erant sic sancita poenis legitimis, quę sic propria erant Iudæorũ, quibus solis lex Moisis data erat, ex operibus, inquam, legis, quasi ex operibus legis, id est, factis non ex fide, sed ex timore, sicut scriptum erat, qui fecerit ea, viuet in eis, non iustificatur homo. Imo sic accipiendum esse, quod Apostolus ait, arbitramur hominẽ iustificari absque operibus legis, pro eo, quod est absque operibus legis, quasi operibus legis, quæ vt sic erant, propria Iudæorum erant, & non gentium communia, ex eodem ipso loco Pauli perspici potest, alioqui postquam dixit, arbitramur hominem iustificari per fidem absque operibus legis, quorsum subiungeret, An Iudæorum tantum Deus, non etiam & gentium? imo & gentium, nisi quia si ex operibus legis, vt ad Iudæos tantum pertinebant, iustificaretur homo, iam Iudæorum tantum Deus esset, & non gentium, non enim esset Deus eorum, quos a iustitia excluderet. Sed de operibus legis quando, ac quomodo ex eis iustitia existat, paulo post separatim copiosius explicabo.

9 Ad hæc illud Rom. 6. sæpe inculcãt, vt audio, misero populo, non estis sub lege, sed sub gratia, si autem (inquiunt) per opera contingeret iustitia, iam nõ esset amplius gratia, sed nostrum meritum, aut nobis debitum. Recte si per opera legis quasi opera legis, aut per opera secundum carnem iustitia contigeret apud Deum, opera enim secundum naturam ex nobis sunt, & opera legis, quasi opera legis non erant ex fide. Quare si ex huiusmodi operibus corã Deo iustificaremur, iam non secundum gratiam iustificaremur, sed secundum debitum, ei enim qui operatur ex se, tanquam ex se, merces imputatur secundum debitum, atque ita non essemus sub gratia, & liberalitate Dei, sed potius debitor videretur, quasi aliquid ille nobis more hominum debere posset, & quasi nos non secundũ gratiam eius, sed secundum nostram rationem, & propriam carnis iustitiam fructum mereremus. at nunc non ita, non tribuimus

iustitiam coram Deo istis operibus, quæ ex nobis sunt, sed potius fidei, & operibus ex fide secundum gratiam eius sub qua sumus, quoties ex fide, & obedientia fidei, quæ Dei dona sunt, & non ex
10 nobis iustitiam quærimus.

Matt. 5. Præterea Matth. c. 5. Christus (inquit) venit ad implēdam legem, ergo nemo (inquiunt) potest implere legem, & per opera bona iustificari, sed solum per imputationem meriti Christi iustificamur. Venit quidem Christus ad implendam legem, idest, ad faciendum & tradendum ea, quæ erant supra legem veterem, vt interpretatur beatus Cyrillus in commentariis Zachariæ c. 11. vt cum iubet (inquit) non irasci, prohibendo enim iram perficitur, & consumatur lex non occidendi, cum sit ira radix cædis, & origo eius, & omnino non concupiscendo interimitur prorsus adulterium, sicuti cum radicibus (inquit) dicimus pariter marcescere ipsa germina, lex enim, vt quidam vetus auctor dixit, malitiæ ramos succidit, gratia vero etiam radices eius euellit, sic autem intelligendum esse declarat scriptura, cum paulo post subiungit, nisi abundauerit iustitia vestra plusquam scribarum, & pharisæorum, & illud, Audistis quia dictū est antiquis, & quæ sequuntur. Sic etiam Tertullianus in libro de poenitentia, & in libro ad vxor. interpretatur, sic Irinæus lib. 4. c. 27. sic Sixtus II, in libro de castitate, & multi alii, quos prætereo. De lege ergo Moisis scriptum est, venisse ad implendum legem, qui enim veterem legem dederat, & infirmitati Iudæorum accommodauerat, idem cum venit tempus correctionis, & consumationis, correxit, & consumauit, & accessione nouæ legis impleuit transferendo legem à littera ad spiritum, à vetustate ad nouitatem, ab imperfecto ad perfectum, à seruitute ad libertatem, qua translatione, vt Vmbertus Cenomanensis doctus auctor scripsit, non est recessu suo exinanita, sed accessu gratiæ cumulata. Venit denique ad implendam legem, vt quod neque lex, neque prophetæ facere potuissent, faceret ipse, idest, vt à peccato, & morte liberaret. Hactenus de lege vetere à Christo impleta. De noua vero lege à nobis implenda, idest, exequenda, & seruanda audiamus, quid dominus dixerit, Et vos debetis (inquit) alter alterius lauare pedes, exemplum enim meū dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, sic & vos faciatis, quod Paulus interpretans in epistola ad Galatas, alter alterius (inquit) onera portate, & sic adimplebitis legem Dei. Possumus ergo facere ad exemplum Christi, quod idem fecit, & facere docuit, quod est implere legem nouam, alioqui frustra iussisset, &

frustra id factis, & sermone docuisset. Rursus Apostolus Roma. 13. Qui (inquit) diligit proximum, legem impleuit, nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, diliges proximum tuum sicut te ipsum, dilectio proximi malum non operatur, dilectio enim proximi plenitudo legis est, vt enim idem rursus ait in epistola ad Galat. 5. omnis lex in hoc sermone completur, diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Quid ergo est, quod blasphemantes in Christum legislatorem nostrum docēt isti neminem nostrum posse implere legem nouam? de hac enim necesse est eos loqui. Deinde postquam dixit dominus, venisse se ad implendam legem veterem, superstruendo (vt Tertullianus ait) legis nouæ adiectionem, quia noui testamenti mandata veteribus adiecta vilia ducebant Iudæi, vt ab eo data, quem vilem tanquam filium fabri existimabant, & contemnebāt, idcirco qui (inquit) soluerit vnum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno coelorum, quod perinde est, quasi diceret, vt Photius Constantinopolitanus in scholiis huius euangelii interpretatur, tu mea mandata tanquam vilia, & minima contemnis, at ego te propter contemptum eorum, vilem faciam, & contemptum coram angelis, & hominibus in regno coelorum, vt tu illa contemnis in terra, & coram hominibus paucis. Cum autem ait, minimus vocabitur in regno coelorum, constat (inquit) extremum supplicium significari, vt enim minimo nihil est minus, sic æternum supplicium summum est, & extremum, quo nullum maius, hactenus Photius. Quomodo ergo audent docere, non posse à nobis impleri legem nouam, si nullum mandatum Deus ne illud quidem, quod minimum existimatur, præteriri à nobis vult? Quod si possumus per Dei gratiam implere legem nouam, vt dominus præcipit, qui nihil, quod fieri non possit, præcipit, possumus per spiritualem impletionem legis nouæ, non ex debito, sed secundum Dei gratiam iustificari, & non per solam imputationem meriti Christi, quæ nihil valet nisi per fidem, vt rursus fides nihil valet, nisi quæ iam est per dilectionem in actu, & operatione.

11 Ad hæc ex 8. cap. epistolæ ad Rom. sic ratiocinari solent, quod impossibile erat legis, id Christus impleuit, ergo nisi meritum Christi per solam fidem apprehendamus, impossibile est, vt coram Deo iustificemur. Videamus quid Paulus dicat fuisse impossibile legis, & quomodo id Christus impleuerit, & quibus impleuerit. Nam quod

impossibile (inquit) erat in lege, in quo infirmabatur per carnem, Deus mittens filium suum in similitudinem carnis peccati, & super peccato, damnauit peccatum in carne, quia (inquit) nemo poterat satisfacere pro morte, ad quam eramus omnes propter peccatũ iusta Dei lege damnati, sicut scriptum erat, quacunq; hora comedetis, morte moriemini, quia nemo inquam, poterat satisfacere pro omnibus, quia omnes erant peccatores, imo sacerdotes ipsi legis, propter infirmitatem, qua erant circundati, necesse habebãt prius pro suis peccatis, deinde pro populi ignorantiis offerre. idcirco misit Deus filium suum vnigenitum, qui factus similis nobis peccatoribus in veritate carnis assumptæ, & missus de peccato, siue super causa peccati, gratia Dei pro omnibus peccatoribus gustauit mortem carnis, qui tamen peccatum non fecerat, neque inuentus fuerat dolus in ore eius, neque enim in eo quicquam princeps huius mundi habuit, vnde merito damnauit peccatum in carne sua sine vllo peccato pro nobis moriente. Quo factum est, vt illo pro nobis, qui nihil debebat, satisfaciente, debitum damnationis omnes soluerimus. Sic impleta est iustificatio legis in nobis, idest, satisfactio, quæ pro peccato, quod in Adam peccaueramus, secundum legem Dei debebatur, hoc enim significat hoc loco *δικαίωμα, τὸ κατόρθωμα τοῦ ἀδικήματος*, idest, correctionem, siue emendationem iniuriæ, siue satisfactionem lege Dei decretam pro iniuria, ac peccato, sic enim interpretatur hoc vetus verbum Aristoteles lib. 5. Aethic. In eandem significationem accepit idem verbum Apostolus Rom. 5. cum ait, sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius *δικαίωμα*, idest, satisfactionem pro peccato, in omnes homines in iustificationem vitæ, iustificamur enim à peccato nostro in Adam, & viuificamur credentes in eum, qui à mortuis resurexit, & fidem eius operantes, quod est ambulare secũdum spiritum, sicut hic ait Apostolus, Vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui nõ secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum, ita vt in non ambulantibus non impleatur. Quid igitur erit ambulare secundum spiritum? an credere tantum & non operari? minime, qui enim credit tantum, non habet dilectionem, quæ est (vt Diony. ait) *πρώτιστη κίνησις*, idest, prima motio, non igitur ambulat secundum spiritum, qui enim non mouetur, non ambulat. Quare non per fidem solam, sed per fidem, & per opera secundum spiritum ex fide, meritum Christi apprehendimus, vt coram Deo iustificemur. Sed de satisfactione Christi quomodo in nobis implea-

impleatur, ſi quidem Chriſto comoriamur, & compatiamur, dicã copioſius alio poſtea loco, ne eadem repetamus.

12 Rurſus ex Matth c. 12. ſic ratiocinantur, Aut facite (inquit) arborem bonam, & fructum eius bonũ, aut arborem malam, & fructus eius malos, igitur ſicut oportet (inquiunt) prius arborem fieri bonam, quàm afferat fructus bonos, ita oportet nos prius eſſe iuſtificatos fide, quàm bene operemur, & per conſequens, opera non ſunt neceſſaria ad iuſtificandum nos, cum iam antea ſimus per ſolam fidem iuſtificati, &c. Fidem, vt videtis, comparant cum arbore bona, imo arborem bonam fidem ſolam interpretantur, & arborem malam infidelitatem, & opera bona fructus fidei faciunt, quæ omnia ſunt falſa, vt ſtatim docebo. Videamus ergo primum, quid appellet ſcriptura arborem bonam, ſcilicet appellat arborem bonam, τὴν προαίρεσιν, ideſt, voluntatem bene operantem, & malam, voluntatem peccantem, ita vt quia fructus bonorum operum faciat, ſimul ſit bona arbor retionalis, rurſus vero quia bona arbor ſit, ſimul fructus iuſtitiæ proferat. Etenim ſi oporteret fieri bonam arborem, aut malam, priuſquam fructus proferret bonos, aut malos, vt iſti volunt, & tradunt, non eſſet homo προαιρετὸς, ſed φύσει bonus, aut malus, vt Manichæi dicerent, at cum electione ſit bonus, aut malus, ſequitur, vt prius προαιρετικῶς, ideſt, ſecundũ electionem faciat bona, aut mala, quàm exiſtat, vt Didymus ait, κατὰ κακίαν, ἢ ἀρετὴν πεποιωμένος, ideſt, qualitate vitii, aut virtutis affectus, bonus inquam, aut malus. Vt enim qui iuſtitiam facit, ſicut Ioannes ait, ille iuſtus eſt, ſic arbor rationalis, quæ bonum facit, bona arbor eſt, & viua, illa autem bonum facit, quæ Deo credit, ſimul & diligit, qui enim non diligit, manet in morte, ſicut ait idem Ioãnes. Conuenit cum his, quæ à me dicta ſunt, quod ſcripſit beatus Hieronymus in comment. Eſaiæ c. 55. Vnuſquiſque (inquit) propria voluntate facit animæ ſuæ arborem bonam, aut malam, bona ergo arbor bona voluntas fuerit, quæ mala opera non poteſt operari, ſicut neque mala voluntas bona opera. At bonam voluntatem non conſtituit ſola fides ſine dilectione. Rurſus idem Hieronymus in comment. epiſtolæ ad Galat. interpretans illud, Non poteſt arbor bona malos fructus facere, arborem bonam interpretatur ſpiritum, qui non poteſt opera carnis facere, & arborem malam prudentiam carnis, quæ ſimiliter non poteſt fructus ſpiritus facere, at qui ſecundum ſpiritum ambulat, non fide tantum, ſed ſpiritu ex fide, ideſt, ex fide cum dilectione ambulat. Item beatus Ignatius

in epist. ad Ephes. veluti interpretans in genere, & specie hoc quod dominus in euangelio dixit, non potest arbor mala bonos fructus facere, &c. carnales (inquit) spiritualia non possunt agere, neque spirituales carnalia. hactenus in genere. deinde ad speciem descendes, sicut neque fides (inquit) ea, quæ sunt infidelitatis, neque infidelitas ea, quæ sunt fidei, At qui credit, sed nondum diligit, facere potest opera infidelium, quod nemo negarit, vt si operetur nō amore Dei, sed alia quapiam ratione carnali, qui autē credit, & diligit, minime. Quare quod ait beatus Ignatius, neque fides facere potest ea, quæ infidelitatis sunt, nō de sola fide, vt vos intellexti, sed de fide cum dilectione, quas idem tradit connexas esse debere, & quas ceteræ virtutes consequantur. Ergo bona arbor est προαίρεσις, idest, electio per fidem in charitate radicata, sicut Apostolus scribens ad Ephes. per fidem (inquit) in charitate radicati, mala vero arbor est electio habitu infidelitatis radicata, aut radice fidei mortuæ, idest, fidei sine operibus, vt iam bonam arborem faciat bona radix, quæ adhæret viti, quæ est Christus, adhæsio autem perfecta fit per fidem, & charitatem. Vnde beatus Cyrillus explanans in comment. Esaiæ. c. 4. locum illum euangelii, ego sum vitis, & vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quoniam sine me non potestis quicquam facere, subiungit, χρῆναι δ' οὖν ἔγωγε φημὶ προσηρτῆσθαι δεῖν διὰ πίστεως καὶ ἀγάπης, καὶ τῆς εἰς ἅπαν ὁτιοῦν εὐπειθείας τῇ ἀμπέλῳ τῇ ἀληθινῇ, ἤγουν τῷ Χριστῷ, αὐτὸς γὰρ ἡμᾶς ἀποφαίνει καρποφόρους. interpretabor latine, oportere igitur (inquit) affirmo adhærere per fidem, & charitatem, & omnis generis obedientiam veræ viti, hoc est Christo, ipse enim nos facit frugiferos. Item in euangelio Matth. videns Ioannes multos pharisæorum, & saducæorum venientes ad baptismum suum dixit eis, progenies viperarum. sic enim vocauit malos filios ex malis parentibus ortos, admonens tacite, vt desinerent imitari illos, si boni esse vellent, quis (inquit) demonstrauit vobis fugere à ventura ira? quia enim qui poenitentiam agit, ideo agit, vt effugiat iram Dei aduersus peccata, & quia simulabant illi poenitentiam vitæ anteactæ veniendo ad baptismum Ioannis, quo baptizabat eos in poenitentiam, ideo interrogabat eos sic, Quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? perinde est atque diceret, vt Didymus in libro contra Manichæos totum hunc locum interpretans ait, qui recte, & legitime demonstret se à peccatis velle discedere, non simulabit poenitentiam, vt vos facitis, qui cum hypocrisi, & simulatione venitis ad baptismum,

quare non mundabimini, qui enim vere vult mundari, recedit à peccatis, & fert fructum poenitentiæ, faciens opera habitus contrarii peccato superiori, facite ergo fructum dignum poenitentiæ, non dixit, credite ergo tantum, nec enim hoc satis erat, quis enim dubitet, quin fidem saltim nudam, qualis est Luteranorum fides, haberent illi? sed ad fidem opera adiungit, facite inquiens fructum dignum poenitentiæ, idest, opera habitus contrarii, idq; si à peccatis vultis recedere, & remissionem consequi, imitamini inquã, Abraam, vt non solum filii eius sitis secundum carnem, quod quidem vobis nihil prodesse poterit, sed filii sitis fide, & obedientia, quod potest Deus præstare iis etiam, qui non sint filii Abraæ secundum carnem, imo sint fatui, & duri in peccati obstinatione instar lapidum. Deinde sequitur, Iam enim securis ad radicem arborum posita est, hæc (inquit) cum auditis, ne contemnatis, quasi tardet ira aduersus peccatores, iam enim qui in peccato est, habet impendens supplicium, supplicium enim vocat securim, radicem vero arboris vocat, vt ait idem Didymus, τὴν χειρίστην ἕξιν, idest, pessimum habitum non recedendi à peccatis, & non faciendi opera bona. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, idest, omnis arbor mala, quę malum fructum facit, omnis inquam arbor mala, quæ iam mala est propter radicem malam, excidetur, & in ignem mittetur. Hoc ergo significat quod ait Matthæus, aut facite arborem bonam, scilicet secundum radicem bonam fidei, & dilectionis, & fructus eius bonos, idest, & sic ostendite extrinsecus bonitatem eius ex fructibus, ex fructu enim arbor cognoscitur, aut facite arborem malam nempe secundum radicem, & fructus eius malos, idest, & sic ostendite vitium radicis ex vitiosis fructibus arboris. Fides igitur per dilectionem in actione posita cõstituit bonã radicem, cuius bonitas ostẽditur per opera, ceu per fructus quosdam arboris, fides enim per dilectionem exercetur, & consumatur in operatione mandatorum eius, qui diligitur, sicuti virtus radicis per calorem agitata, & vt ita dicã, actuata, in partu fructuum consumatur. Fides vero ipsa, & opera spiritualia, si quęratis iam, cuius sint fructus, respondemus fructus spiritus esse, nobis tamen cooperantibus, quod Apost. docuit in epist. ad Gala. Fructus. n. (inquit) spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas, ex quo fit, vt opera bona nõ sint fructus fidei, vt isti tradunt, sed fidem adiuuãtia.

Opa non fructy fidei.

Etenim si fides est fructus spiritus, & opera bona, & spiritualia in eodem ordine item sunt fructus spiritus, eandem enim cooperatio nem à nobis requirit spiritus Dei ad donandum nobis, & fidem, & reliqua bona opera, sequitur, vt opera bona, non possint esse fru= ctus fidei, fidei ergo, simul & bonorum operum fructus est ipsa merces secundum gratiam imputata, quæ est iustitia, cuius virtutes, siue facultates, & tanquam fructus proprii sunt remissio peccato= rum, salus animæ, quæ est vnio eius cum Deo, lætitia inenarrabilis, & hæreditas regni, quæ omnia continet benedictio spiritualis, & quæ vno vocabulo beatitudinis in scripturis appellari solent. Vn= de beatus Petrus postquam fidem, & multa opera bona, verasq; vir tutes spirituales enumerauit in epistola 2. c. 1. subiungit, hæc si vo= biscum adsint, non vacuos, neq; sine fructibus scilicet iustitiæ vos constituent in domini nostri Iesu Christi cognitione. Sic enim Paulus ad Philippen. 1. scripsit, vt charitas vestra magis, ac magis abundet in omni scientia, & in omni sensu, vt probetis potiora, vt sitis synceri, & sine offensa in diem Christi repleti fructibus iustitię per Iesum Christum. Ergo vt ad ratiocinationem istorum tandem respondeamus, concedimus oportere prius arborem, idest, electio= nem fieri bonam, intus scilicet per bonitatem radicis, quàm edat bo nos fructus, idest, priusquam extrinsecus ostendatur bonitas eius ex fructibus, idest, ex operibus, ex fructu enim arbor cognoscitur, vt cor ex iis, quæ instar fructus ex corde exeunt, extrinsecus cogno scitur. Quod vero concludunt oportere similiter fide prius iustifi= cari, deinde operari, iam fidem solam faciūt arborem bonam, cum fides potius dilectione radicata, sit radix bona bonæ arboris, cuius fructus est beatitudo, quæ quidem bonitas radicis, quæ eadem est bonitas arboris, extrinsecus ostenditur ex operibus tanquam ex fructibus quibusdam arboris bonæ.

13 Præterea obiicitur illud Ioannis c. 1. de plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia, ergo nihil nostrorum operum re= quirit ad iustitiam Deus. Si proprios locorum sensus in scripturis diligenter inquirere studium istis esset, non vndecunq; temere ra= tiones falsas sui dogmatis peterent. Repetamus ergo paulo altius explanationem, Dixerat euangelista datam esse nobis potestatem filios Dei fieri, id autem quomodo factum esset, vt intelligeremus, subiunxit, Et verbum caro factum est, quod perinde est, quasi dice ret, ideo enim Deum factum esse filium hominis, vt nos homines efficeremur filii Dei, & diuinæ naturæ participes. Sequitur, Et vi=

dimus gloriam eius, gloriam vt pote vnigeniti à patre, se cum aliis Apostolis adhibet testem virtutis, & præsentię illius, de illa enim gloria loquitur, de qua beatus Petrus, notam vobis fecimus (inquit) domini nostri Iesu Christi virtutem, & præsentiam, spectatores facti illius magnitudinis, accipiens enim à Deo patre honorem, & gloriam voce delapsa ad eum huiuscemodi à magnifica gloria, hic est filius meus dilectus, in quo mihi cõplacui, ipsum audite, &c. deinde sequitur πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας, idest, plena gratiæ, & veritatis. quod quidem cum illo iungẽdum est, quod dixerat, verbũ caro factum est, caro inquam plena gratiæ, & veritatis, dest plena gratiæ veræ, hoc est, sustantialis, plena inquam diuinitatis secundũ sustantiam, in carne enim verbi Dei habitauit, sicut Apostolus ait, omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, idest, vere, & secundum sustantiam. De hac igitur plenitudine substantiali ait paulo post, & de plenitudine eius nos omnes accepimus, accepimus enim per participationem primitias spiritus secundum gratiam Dei. Quia vero etiam sub lege Moisis Israelitæ gratiam adoptionis filiorum Dei acceperũt sicut dixit Moises, si audieritis vocem domini Dei vestri, & seruaueritis eius mandata, quæcunque ego hodie mando tibi, vt facias bonum, & gratum domino Deo tuo, eritis filii domini Dei vestri, idcirco ne de ista gratia vetere intelligeremus, ait accepisse nos gratiã pro gratia, pro gratia inq̃ vetere, & minore gratiã noui testamenti, quã effudit in nos abunde p Iesum Christũ. Vnde subiungit explanãs qđ dixerat. Lex.n.p Moisẽ data est, grã aũt p Iesum Xp̃um facta est, veritatẽ opposuit vmbræ, quã habebat lex futurorũ bonoꝝ, nõ ipsam imaginem rerum, gratiam vero opposuit iræ, quam lex operabatur. Explicauit itaq; euangelista, quod Zacharias c. 4. de Christo prophetarat, & educet (inquit) Deus lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ, non enim significat gratiam noui testamenti non esse maiorem gratia veteris sed pro vetere reponẽdam fuisse aliam nouam. Quem locum explanans beatus Cyrill. in comment. prophetæ huius, data est (inquit) Israeli vetus illa gratia, qua liberati sunt ab Aegypto, transierunt mare, comederunt mãna, transierũt pede Iordanem, & introducti sunt in terrã promissionis. Huic gratiæ alia similis per Christum nobis data est, quæ enim illis facta sunt secundum carnem, & sensum, hæc nobis perfecit Christus spiritualiter, liberauit ex seruitute diaboli, liberauit ex passionibus, & carnalibus immunditiis, velut per mare traiiciens superatis fluctibus huius vitæ, & superata amaritudine solicitudi-

nis, comedimus panem e coelo, quod est mysterium, transiuimus Iordanem, & habuimus circuncisionem spiritualem, factiq; sumus haeredes ciuitatis coelestis. Hoc existimo significasse beatum Ioannem, cũ dixit gratiam pro gratia, quia lex per Moisem data est, &c. fuit enim minister, & mediator illius veteris gratię Moises, secundę autem gratiae Christus, quae quidem similitudinem habebat cum illa, quia illa vetera typi erant ad veritatem spectantes, hoc est parturientes pulchritudinem veritatis praestantioris, sicut spiritualia praestant sensibilibus, sicut Apostolus ait, melioris testamenti factus spõsor, &c. hactenus Cyrillus. Iudicate nunc vos, quomodo ex his sequatur, quod sequi volunt isti, cum sic concludunt, ergo nihil nostrorum operum requirit ad iustitiam Deus, cur non potius sic ratiocinantur, si gratiã euangelii pro gratia veteris legis accepimus, & ad iustitiam, quae in lege erat, operibus legis opus erat, ergo similiter iustitia, quae in euangelio est, ex operibus euangelicis, idest, spiritualibus erit.

14 Praeterea ex 5. c epist ad Rom. sic ratiocinantur, sicuti Adam extra nos commeruit, vt nos omnes peccatores cõstituti fuerimus, ita & Christus extra nos, & sine operibus nostris promeruit iustitiam, qua coram Deo omnes acceptamur, & iusti pronũciamur, &c. Locus autem Pauli, quem male interpretantur, & vnde rationem istam falsam ducunt, ille est, sicut enim per inobedientiam vnius hominis, peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obeditionem iusti constituuntur multi, existimant enim peccatum originale peccatum alienum esse, idest Adae peccatum nobis imputatum, ac non potius peccatum cuiusq; proprium in Adam commissum à nobis, vt quidem est, alioqui non dixisset Apostolus per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, inquo omnes peccauerunt. Non ergo peccatum Adae peccatum nostrum fuit, sed peccante Adam principe generis nostri, nos omnes, vt in eius lumbis eramus, peccauimus, per vnius itaq; inobedientiam nostrae inobedientiae originem factum est, vt multi per inobedientiae propriae habitum, & formam ingenitam, atque insitam peccatores constituerentur, similiter Christus factus est pro nobis obediens vsque ad mortem crucis, vt vno pro omnibus mortuo, omnes mortui essemus, quotquot in eum credidimus, & in mortem eius baptizati sumus. Vt igitur Adam extra nos peccauit, sed peccatum eius nobis non nocuisset originaliter, nisi eo peccante, nos in eo tanquam in origine nostrae naturae, & inobedientiae peccassemus, sic Chri-

stus secundus Adam extra nos, & sine operibus nostris mortuus est. sed mors eius nobis non prodesset ad salutem, nisi nos in eum mortuũ,& suscitatũ pro nobis crederemus,& simul in eius mortem baptizaremur, quæ quidem non fiunt extra nos, & sine nobis, adiutores enim Dei sumus. nõ tamen huiusmodi fides, & opus quasi ex nobis computantur ad iustitiam, Dei enim dona sunt. Promeruit itaq; Christus iustitiam nobis in eo per fidem, & mysticum opus baptismi mortuis, ideſt, iustificauit nos secundũ gratiam per sanguinem suum ex fide per dilectionem in baptismo operata, idq; non ex nobis, fides enim,& fidei opera dona Dei sunt.

15 Deinde latro (inquiunt) nullis prorsus operibus iustificatus est, sed tantum quia misericordiã Dei implorauit &c. Quęso istos, nõne latro credidit Christo, ꝙ Deus esset, & ꝙ remunerator esset? certe credidit, alioqui non dixisset, Domine memento mei, cũ veneris in regnum tuũ, deinde, nõ ne operatus est hanc fidem increpando alterius latronis impietatem, & cõfitendo peccata sua digna morte, & innocentiam Christi, cum dixit, neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es? & nos quidem iuste, nam digna factis recipimus, hic vero nihil mali gessit, quomodo ergo audent dicere nullis prorsus operibus iustificatum esse, in quo fidem,& opera ex fide cernunt in euangelio declarata esse? Præterea an non credũt, eum qui vere,& actu credidit Christo, ꝙ esset Deus,& ꝙ remunerator esset, se ei obtulisse ex tota anima, & ex toto corde? at ista oblatio nonne fuit opus excellẽs ex fide? quomodo igitur nullis op̃ibus iustificatus est?

16 Sequitur deinceps, vt respondeam ad reliqua exempla scripturę, quæ populi auribus, vt audio, crebro inculcant de Maria Magdalena, cui dictum est, fides tua te saluam fecit, item de Hæmoroissa, cui hoc idem dictum est, & de leproso Samaritano, & si qui sunt alii. Certe in Magdalena peccatrice, nemo est, qui non videat non hoc de fide cõmuni, ideſt, de fide credẽtis tãtum dictum esse, sed de fide, quam mulier illa in peccatorum suoꝝ poenitentia per dilectionem operata est. Est enim poenitentia, vt ait Clemens Alexandrinus in 2. lib. Strom. κατόρθωμα τῆς πίστεως, ideſt, opus, siue officiũ ex fide, nisi enim (inquit) credas peccatum esse in quod incidisti, & nisi credas supplicium impendere peccanti, salutem vero seruanti mandata, nõ mutaberis per poenitentiam. Sed quemadmodũ quæso, si ex eo, quod dominus Magdalenæ dixit, fides tua te saluam fecit, solam fidem iustificare tradunt, ex eo similiter, quod idem dominus in eodem loco de eadẽ muliere dixit, remittuntur ei peccata multa, quia

dilexit multum,nō itē docet opus dilectionis iustificare? an nō satis clare docuit Apost.Paul.inde imputari iustitiā, vnde remittunt̄ peccata,cū ait in epist. ad Rom. & Dauid dicit Beatitudinem hominis, cui dominus imputat iustitiam absque operibus dicens,Beati quorum remissæ sunt iniquitates?Vt enim si diceret,beati quorum remissæ sunt iniquitates propter fidem Dei,siue quia crediderunt,diceret quidem imputari iustitiā ex fide,sic si dixisset,beati quorum remissæ sunt iniquitates, quia dilexerunt, plane dixisset iustitiā imputari ex dilectione. Conuenit cū hoc,quod ait Ioan.`si diligimus fratres,translati sumus à morte ad vitam,at q p dilectionē trāsfertur ad vitā,is profecto ex opere dilectionis iustificatur,fructus enim proprius iustitiæ vita est coram Deo, sicut scriptum est, iustus ex fide viuit,quod nō tantum propter fidem scriptum est,sed propter omne opus ex fide, ex quo iustus viuit. De Chananea vero similiter dicimus non fuisse fidem tantum, quam dominus in ea laudauit,sed fidem, quam per dilectionem operata est, Quia enim dilexit eum , cui credidit, fidei obediuit,vt exiret ex finibus Tyri,& Sydonis,& imploraret misericordiā eiusdem,dicens miserere mei domine fili Dauid, &c. Vtinam sic isti fidem per dilectionem operari vellent recedendo ex finibus Tyri, & Sidonis,idest,iuxta interpretationem verborum à vinculis peccatorum,& insidiis diaboli, tunc fides istorum non minuta,manca, & inchoata, sed magna,& perfecta esset,& ad iustitiam computaretur . Item Hæmoroissa credens quòd potens esset Christus, facere quæcunque vellet, ita vt vel solo tactu fimbriæ,si vellet,fluxum sanguinis sistere posset,tangendo fimbriam,fidem operata est,quæ cōputata est ei ad iustitiam . Illud præterea aduertendum est , quod tradit Clemens Alexandrinus,mulieres istas, in quibus fides laudata est , fuisse iustas secundum iustitiam legis , ita vt nihil eis deesset, nisi fides Christi, vt deinceps ex fide,& ex operibus fidei corā Deo iustæ essent , sicuti Abraam iustus quoque erat apud homines ex philosophia , vt idem Clemens loquitur,idest, ex operibus secundum carnem, siue secundum naturam ante fidem, cui fides tantum deerat,quæ cum accessit, ex fide postea, & ex operibus fidei coram Deo iustificatus est . Sed recitemus Clementis verba ex 2.Stromat. Iis(inquit) qui erant iusti ex lege, fides deerat, & ideo cum eos curaret dominus,aiebat,fides tua te saluam fecit.hæc Clemens.

Est alius locus,quem isti apud vos confidentissime iactant,quasi vel eo solo suum dogma sustinere possint, gratia enim (inquit) estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis , Dei enim donum est,nō ex

operi-

operibus, vt ne quis glorietur, &c. Mihi vero vel hic vnus locus, si recte explicetur, istorum dogma satis refellere videatur. Etenim si ex fide, quæ Dei donum est, iustificamur, cur non similiter ex operibus fidei, quæ item Dei dona sunt, iustificemur? si enim obedientia nostra in dono fidei capiendo non prohibet, quin gratis per fidem iustificemur, cur magis obedientia nostra in operibus, & officiis fidei capiēdis, quę dona quoq; Dei sūt, magis prohibeat, quin gratis etiam per opera fidei iustificemur? gratia (inquit) estis saluati, idest, nō secundum debitum tanquam operantes secundum carnem, sed per fidē, & hoc non ex vobis, idest, non quatenus obedistis in capienda fide, quód enim coepistis eam, donum Dei fuit, cuius gratia credidistis. Sed cur addiderit Apost. & hoc non ex vobis, quo magis intelligatur, recitabo ex secundo Stromateo Clementis, quæ ad hunc locum magnopere pertinent aduersus eos, qui existimant fidem sic Dei donum esse, quasi nihil nos vllo genere causę efficiamus, quod quidem si verū esset, nunquam Apost. dixisset, & hoc nō ex vobis, quasi aliquid causę ex nobis ad capiendā fidem accedat, vt quidem accedit, sumus .n. causæ adiuuantes. Ergo vt ludus (inquit) pilę non pendet solū ex eo, qui ex arte iacit pilā, sed ex eo etiam, qui excipit apte, vt ex lege artis fiat ludus, sic & doctrina tunc est ἀξιόπιστος, idest, auctoritatem habens, &, vt ita dicam, persuasibilis, si adiuuet ad discendum fides audientis, & discentis, quæ est quædam (vt ita dicam) ars naturæ. Item vt solum (inquit) adiuuat semen iactum, sic nihil prodest disciplina, neque prophetia, nisi qui discit, & audit, obediat, magnes enim trahit ferrum, & electrum paleas mouet, obediunt autem ea, quæ trahuntur occulto quodam spiritu tracta non tanquam causæ, sed tanquam συναίτια, idest, cōcausæ, vt verbo in schola philosophorum trito vtamur. & paulo post, Deus (inquit) vocat oēs, ne possint excusare ignorantiā, quod autem quisq; suis viribus potest, hoc postulat, & requirit ab eo. hactenus Clemens. Saluati ergo (inquit) per fidem non ex vobis, qui causæ estis adiuuantes tantum, sed ex Deo, qui est doni huius causa συνεκτική, & αὐτοτελής, idest, continens, & perfecta, ne quis glorietur, quasi non acceperit. Sequitur non ex operibus, scilicet quasi ex vobis, illud enim ex vobis, quod dixerat in fide, repetendum est hic in operibus ἀπὸ κοινοῦ, quæ est figura, vt sæpe admonui, in scripturis frequentissima, sicut rursus quod in operibus dixit, ne quis glorietur, repetendum item, ἀπὸ κοινοῦ in fide, vt sit plena oratio, saluati per fidem, & hoc non ex vobis, ne quis glorietur, donum enim Dei est, non ex operibus, & hoc

Simile

ex vobis,ne quis rursus glorietur,'ergo saluati ex operibus, non ex vobis, sed ex Deo, cuius dona sunt opera spiritus ex fide, quæ appellãtur in euangelio opera Dei, sicut scriptum est,quid faciemus, vt operemur opera Dei? idest opera bona, beneplacentia,respondet dominus,hoc est opus Dei,vt credatis in eum, quem misit ille, quod perinde est, quasi diceret, opera Dei esse opera ex fide, quæ permanent in vitam æternam,de quibus nemo potest quasi de suis gloriari,ex his itaq; potest homo iustificari, & saluari.

18 Postremo,Paul.(inquiũt)aperte docet debere nos legi esse mortuos, si Deo viuere velimus, per legem enim (inquit) legi mortuus sum,vt Deo viuam. Si autem mortui sumus legi,& ipsa nobis mortua est,vt neq; ex lege,neque ex operibus iustificetur,ac viuificetur homo,&c. Semper opera legis cum operibus fidei confundũt, cũ longe inter se discrepent, quod copiosius postea docebo. opera .n. legis non fiebant ex fide,ac dilectione,sed ex metu iræ,quam lex operabatur in violatores, erantq; solum propter transgressiones constituta,idest,vt timerent Iudæi peccare transgrediẽdo,propter poenas corporales,quibus sancita erant,& ideo ex illis nemo iustificabatur apud Deum, cum iustus non ex timore carnali, sed ex fide,ac timore Dei viuat coram eo. Ab hac seruitute legis, & ab isto timore mortis ex multiplici transgressione legis liberati sumus per Christum Iesum,qui præcepit nobis habere fidem, & loqui, atque operari ex fide ad viuẽdum coram Deo, quæ est lex libertatis,sicut scriptum est, si confitearis in ore tuo dominum Iesum, & in corde tuo credideris,ꝙ Deus illum suscitauit à mortuis,saluus eris. fidem, & opera ex fide complexus est, si credideris(inquit) hæc est fides,& si ore tuo confitearis,hoc est opus,principium enim operis sermo, vt ait Ecclesiast.c.37.vt autem doceret vtrunque imputari ad iustitiam,fidem, & opus ex fide, idest, fidem operatam per dilectionem, subiungit, Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem,corde inq̃ credit̃ ad iustitiã,& ad salutem ἀπὸ κοινοῦ, & ore fit confessio ad iustitiã,item & salutem,rursus ἀπὸ κοινοῦ,quę (vt sæpe admonui) est figura in scripturis sanctis frequentissima,& ad breuitatem eisdem scripturis familiarem accomodatissima.

19 Postremo locum Augustini de fide, & operibus cap. 14. semper in ore, vt audio, ferunt, opera enim (inquit) legis sequuntur iustificatum, non præcedunt iustificandum, &c. Miror, cum semper isti scripturas sanctas appellent, & nihil præter verbum Dei audire velle simulent, cur hic Augustini auctoritatem tam insog

Augs. contra solam fidem

lenter nobis opponât, aut quod magis mirandum est, cur hunc locum, qui istis secum facere videatur, citent, & multa eiusdem auctoris, imo eiusdem libri, atque adeo eiusdem capitis contra se, suumque dogma malitiose taceant? Quis non intelligat studio fallendi vtrumque fieri? ergo qui hoc dixit, idem in eodem capite, vt cetera omittam, docet, fidem solam non sufficere ad salutem sine operibus, hæc enim est inscriptio capitis, idque confirmat pluribus scripturæ sanctæ testimoniis. Quoniam ergo (inquit) hæc opinio tūc fuerat exorta, aliæ Apostolicæ epistolæ Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ contra eam maxime dirigunt intentionem, vt vehementer astruant fidem sine operibus nihil prodesse, sicut etiam ipse Paulus non qualem libet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem, planeque euangelicam diffiniuit, cuius opera ex dilectione procedunt, & fides (inquit) quæ per dilectionem operatur. Vnde illam fidem, quæ sufficere ad salutem quibusdam videtur, ita nihil prodesse asseuerat, vt dicat, si habeam omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem nō habeam, nihil sum. Et paulo post vnde beatus Petrus sciens de Apost. Pauli quibusdam subobscuris sententiis nonnullos iniquos accepisse occasionem, vt tanquam securi de salute, quæ in fide est, bene viuere non curarent, commemorauit, quædam ad intelligendum difficillima esse in epistolis eius, quæ homines peruerterent sicut alias scripturas ad proprium suum interitum, cum tamen & ille Apostolus de salute æterna, quæ nisi beneuiuentibus non daretur, eadem sentiret, quæ alii Apostoli. Et paulo post, Iacobus autem vehementer infensus est eis, qui sapiunt fidem sine operibus valere ad salutem, vt illos etiam dæmonibus compararet, Quid proderit, ait Iacobus, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? nunquid poterit fides saluare eum? dicit enim quia fides sine operibus mortua est, quousque igitur falluntur, qui de fide mortua sibi vitam perpetuam pollicentur? Hæc Augustinus in eodem capite, vnde testimonium eiusdem aduersus nos recitānt. Scio opinionem illam exortam, quam dicit Augustinus, sustulisse quidem opera sequentia, quasi sola fides sine illis ad salutem sempiternam satis esset, saluos enim fore aiebāt, sic tamen quasi per ignem, si fidem alioqui habentes, male postea viuerent, aduersus quos Sixtus II martyr librum eruditissimum de operibus fidei, & malis doctoribus scripsit, & multo post eum Augustinus librum de fide, & operibus. sic illi sentiebant, in quo fateor peius quàm istos errasse, neque enim isti

1 Cor. 13

Sixtus.

opera sequentia, & studium recte deinceps viuendi tollere profitentur, sed cum sancti Apostoli contra istorum opinionem, vt Augustinus affirmat, maxime dirigunt intentionem, illud constat, non potuisse dirigere intentionem contra illos, quin contra istos quoque dirigerent. cum enim asserunt, vt Augustinus asserere eos ait, fidem sine operibus nihil prodesse ad salutem æternam, quæ nisi beneuiuentibus non detur, simul profecto asserunt, neque prodesse ad salutem, quæ nunc est, eadem enim pietas habet, vt Apostolus ait, promissionem vitæ, quæ nunc est, & futurę, quòd si non prodest ad salutem, siue vitam, quæ nunc est, ergo neque ad iustitiam prodest, iustitiæ enim proprius fructus est salus animæ, quæ est vnio eius cum Deo, vt magnus Diony. tradi. c. 1. Hier. eccl. Quare si fides sine operibus nihil prodest ad iustitiam, adiuuant ergo opera fidem ad iustitiam, ergo fides sola nō sufficit ad iustificandum. Quare quod tradunt sancti Apostoli, vt Augustinus affirmat, fidem sine operibus nihil prodesse ad salutem, non potest intelligi de operibus tantum sequentibus, sequentia enim opera non adiuuant fidem ad iustitiam antecedentem. Hoc igitur istos fefellit, quòd existimarūt causam salutis æternæ separari posse a causa salutis, quæ nunc est, ex quo salutem æternam, fidei, & operibus sequentibus tribuūt, in quo meliores sunt, quàm illi, salutem autem, quæ nunc est, quæ est proprius fructus iustitiæ, soli fidei, qui est proprius error dogmatis Luteranorum. Quod vero Augustinus ait, opera legis, de his enim loquitur, sequuntur iustificatum, non præcedunt iustificandum, intelligendum est de prima iustificatione, quæ quidē fit per baptismum, ante quem fides non est bona simul, & beneplacens, quam scriptura vocat fidem εὐδοκίας, opera autem decalogi, quæ sunt opera legis, vt sint bona, & beneplacētia, sicut Apostolus loquitur, ex fide bona, & beneplacente, quæ iustificat, fieri debent, quare necesse est, vt iustificatio baptismi antecedat opera ista, non opera ista iustificationem, sicut iterum dixit idem Augustinus in libro de spiritu, & littera c. 26. iustificationem opera non præcedūt. Vt enim tradit diuinus Diony. in extrema parte c. 1. Hier. eccles. mystica regeneratio est sanctæ dilectionis progressio ad sanctam, & Deo placentem diuinorum mandatorum operationem, deinde subiungit, quod si esse ex Deo natum, est habere esse diuinum, ergo nihil vnquam eorum, quæ diuina sunt, & à Deo tradita, cognoscere, aut operari poterit is, qui non habuerit esse diuinum, sic enim (inquit) humano more dicere solemus, oportere primum esse, deinde

operari, quæ ad nos pertinent. hactenus Diony. Item sanctus Hieroth. Dionysii magister, primus (inquit) aditus, & initium operandi mandata diuina est regeneratio, & in concilio Arausicano c. 25. sed ipse (inquit) nobis nullis præcedentibus bonis meritis, scilicet quæ à nobis incipiant, & fidem, & amorem suum prius inspirat, vt & baptismi sacramenta fideliter requiramus, & post baptismum cũ ipsius adiutorio, quæ sibi sunt placita, implere possimus. Possumus ergo operari opera legis, idest, non ex fide, ante regenerationem, ex qua existit prima iustitia, non tamen operari illa quasi opera Dei, & à Deo donata, hoc est ex fide, quæ Dei donum est. Atq; ita quidem intellexisse Augustinum, ex eodem intelligi potest in libro de spiritu, & littera c. 26. postquam enim dixit iustificationem opera non præcedere, explanans illud Apost. factores legis iustificabuntur, sic (inquit) intelligendum est, vt sciamus aliter eos non esse factores legis, nisi iustificatio precedat, deinde subiungit, quid est. n. aliud iustificati, quàm iusti facti ab illo, qui iustificat impium, vt ex impio fiat iustus, quod quidem de prima iustitia dictum est, quæ ne ipsa quidem ex sola fide existit, vt isti putant, sed ex fide, et opere sacramenti, ex fide inquam per dilectionem in baptismo operata. Semel vero regeneratus potest iam per Dei gratiam, si velit, ex fide bona, & beneplacente facere opera legis, quæ cum sint iam bona, & beneplacentia, & dona Dei, vt est ipsa fides, quemadmodum non imputentur ad iustitiam simul cum ipsa fide? vt iam nõ iustificetur homo ex operibus legis, quasi ex opeibus legis, sed ex eis quasi ex operibus fidei, & Dei donis. Sed satis hactenus ad Luteranorum argumẽtationes respõsum sit. Sequitur iã, vt aduersus eos de nostro dogmate pauca vobiscum ad vtilitatem vestram disseramus.

¶ Quomodo Abraã ex fide iustificatus sit, & Quomodo, ac quando ex operibus legis nemo iustificetur. & De exemplis fidei Deo placentis ac iustificantis ab Apost. in epist. ad Hebræos commemoratis.

QVia quod scriptum est, Credidit Abraam Deo, & reputatum est ei ad iustitiam, scriptum est, sicut Apostolus ait, non tantũ propter ipsum, sed propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitauit Iesum Christum dominum nostrum à mortuis, Videamus quæ illa fides fuerit, vt qui similem non habeat, intelligat se non iustificari ex fide. Sane si epistolę Iacobi auctori-

De auctoritate Ep[ist]l[a]e Jacobi.

tatem Luterani tribuerent, vt tribuit ecclesia catholica, nulla disceptatione opus esset, cum clarissime dicat, iustificatum fuisse Abraam ex operibus, offerendo filium suum Isaac, & ꝙ fides illius adiuuabat opera, scilicet ad iustitiam, hoc enim significat συνεργεῖν, quod interpres latinus vertit cooperari, quo verbo vsus est Apostolus, Paulus, cum ait, diligentibus Deum omnia ad bonum συνεργοῦσι idest, eos, qui Deum diligunt, omnia adiuuant ad bonum, vt si dicamus, tribulationes adiuuare charitatem ad operandam patientiam Deo placentem, & rursus charitatem adiuuare tribulationes, ita vt neque tribulationes sine dilectione, neque dilectio sine tribulationibus patientiam Deo placentem operentur. Similiter docuit Iacobus, neque fidem sine operibus, neq; opera sine fide ad iustitiam valere, sed potius fidē, & opera esse sibi ad iustitiā συνεργὰ ac συναίτια, idest se adiuuantia. Verū quia isti tantam vim luminis in oculos suos incurrētem ferre non potuerunt, clausis oculis remouere à se maluerunt, negantes Apostoli esse epistolā, quam esse affirmat Ecclesia catholica, & quam ecclesiæ catholicæ veteres patres, & magistri inter libros canonicos, cum eos numerarent, & eorum numerum ecclesiastico canone sancirent, retulerunt, vt Clemens Roma. Magnus Athanasius, Gregorius Nazianzenus, sanctus Amphilochius, tum synodus Romana Damasi, item synodus Romana Innocentii Primi, item alia symodus Romana Gelasii, synodus præterea Laodicensis, Aphricana, Florentina, & postremo Tridentina. Sed seponamus interim, quando ita volunt, huius epistolæ canonicam auctoritatem. Videamus, quid dicat scriptura de opere Abraæ, cum filium suum obtulit super altare, Quia (inquit) fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, id est, quia fecisti hoc opus ex fide, quam mihi promittenti multiplicationem seminis habuisti, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, &c. Erat autem hæc benedictio non quidem carnalis, sed spiritualis, quæ in se continebat iustitiam, remissionem peccatorum, et hæreditatem salutis, quæ nunc est, & futuræ, quare sequitur, vt ex operibus iustificatus sit Abraam, vt qui ex operibus spiritualem benedictionem tulerit. Respondeant enim mihi isti, si sic diceret scriptura Moisis, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo propter me, idest, propter fidem meam, iustificabo te, vt viuas nunc, & in futurum, iustus enim ex fide viuit, an dubitarent, quin ex operibus iustificaretur homo, & non ex fide tantum? minime. Quid igitur refert, si quod nunc dicit benedicam, perinde est, vt statim

ostendam, quasi dicat, iustificabo, siue beabo, ac viuificabo? probat enim Apostolus absque operibus legis, scilicet quasi operibus legis, idest, factis non secundum spiritum ex fide, lex enim, vt Apost. ait, non erat ex fide, sed factis secundum carnem, idest, quasi ex nobis, iustificari hominem, quia Dauid dicit, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, beatus vir, cui non imputauit dominus peccatum, deinde subiungit, Beatitudo ergo hæc manet in circuncisione, an etiam in præputio? quæ interogatio postulat plane, vt manere in præputio respōdeamus, id autem probat subiungens: dicimus enim, quia reputata est fides Abrææ ad iustitiam, beatitudo igitur iustitiam in remissionem peccatorum, quæ est propria iustitiæ, continet, quæ quidem iustitia in remissionem peccatorum ad benedictionem spiritualem pertinet, vt Apostolus in epist. ad Galat. c. 3. interpretatus est, prouidens enim (inquit) scriptura, quia ex fide iustificat, dixit in semine tuo benedicentur, de qua benedictione dominus dixit Abrææ, Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo propter me, benedicam tibi, & paulo post, & benedicentur in te omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ, quod rursus interpretans beatus Petrus Actu. 3. Et in semine (inquit) tuo benedicentur omnes familiæ terræ, deinde subiungit, vobis primum Deus suscitans filium suum misit eum benedicentem vobis, vt conuertat se vnusquisque à nequitia sua, idest, vt remittant peccata vestra, si ab eis cōuertamini. Sic interpretatus est beatus Pet. manere in benedictione remissionē peccatorum, remissio aūt peccatorum manet in iustis, & beatis. Quare cū Deus benedictionē promisit Abrææ ex opere illo immolationis, profecto iustitiam in salutem animæ promisit. Diuine itaque beatus Iacobus, siue epistolæ eius canonica, & Apostolica ab istis tribuatur auctoritas, siue non tribuatur, benedictionem, quam dicit scriptura Genesis, interpretatus est iustificationem, cum ait, Abram pater noster nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? iustitia enim & remissio peccatorum, ac salus animæ ad benedictionem, vt dixi, pertinent, sicut scriptum est, domini est salus, & super populum tuum benedictio tua, & Esaias ait c. 27. propterea auferetur iniquitas Iacob, & hęc est benedictio eius, cum abstulero peccata eius. A peccatis ergo per fidem ex operibus consumatam iustificatur homo in salutem animę, quæ nūc est, & futuram, quæ est omnis benedictio eius, & merces, sicut scriptum est in Eccles. 11. benedictio Dei in mercedem iusti festinat, quod enim promisit Deus Abrææ inquiens, & benedicent

in semine tuo oēs gentes terræ, quia obedisti voci meæ, nobis pro misit in Christo, qui fuit semen Abrææ, scilicet benedictionem iustificationis, vt sicut Abraā benedictionē iustificationis cōsecutus est, quia obediens fidei de promissione multiplicationis seminis fecit opus immolationis filiū sui sibi imperatum, sic nos benedictionem iustificationis consequimur, si similiter credentes obedimus mandatis, quibus fides Christi postulet obedire, reportantes ex eorum operatione benedictionem iustitiæ in remissionem peccatorum, & in beatitudinem, quæ nunc est, & futuram. Quare, vt summatim superiora repetamus, si Abraę ex operibus benedicitur, ergo ex operibus accepit remissionem peccatorum, quia hęc est benedictio spiritualis, cum aufertur peccatum, ꝙ si accepit ex operibus remissionem peccatorum, ergo ex operibus beatificatus est, beati.n.quorū remissæ sunt iniquitates, rursus si beatificatur ex operibus, ergo ex operibus iustificatus est, hæc.n. beatitudo manet in Abraam, quia sicut Apost.Paul.Rom.4. interpretatus est, reputata est ei fides ad iustitiā. Videtis fratres, quemadmodū ꝗuis negent isti epist. Iacobi auctoritatem, necessaria tamen connexione ex scripturis canonicis quas recipiunt, sequatur, vt Abraam ex operibus iustificatus sit, & iustificentur omnes, quicunque vestigium fidei Abrææ sectantur? Abraam enim est huius temporis parabola; & nostræ iustificationis exemplum ac forma. Sed consideremus alterum exemplum

De Rhaab Rhaab meretricis, vtrum ex operibus apud Deum iustificata sit, vt

Heb. 11. Iacobus testatur, fide (inquit Apostolus Paulus) Rhaab moeretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace, idest,

Josue 6. non periit, quia excepit exploratores, idq; ex fide, vt scriptura Iosue testatur, quæ narrat dixisse Rhaab exploratoribus, Noui, ꝙ dominus tradiderit vobis terram, etenim terruit nos terror vester, audiuimus, ꝙ siccauerit dominus aquas maris rubri ad vestrū ingressum, quando egressi estis ex Aegipto, & paulo post, Dominus Deus vester ipse est Deus in coelo sursum, & in terra deorsum, &c. huic ergo fidei consequens erat, vt exploratores ex populo Dei à Iosue missos exciperet, quod quidem fecit fidei obediens, atq; hoc quidē opus ex fide faciens non periit, idest, iustificata est, iustus enim ex fide viuit, neque enim de vita tantum corporis accipiendum est, quod Apostolus ait, non periisse cum incredulis, ꝙ enim Rhaab cum tota domo seruata est incolumis, sicut Iosue præceperat inquiens, sola Rhaab moeretrix viuat cum vniuersis, qui cū ea in domo sunt, profecto vita illa corporalis signum fuit vitæ animæ, quā

Cur primum de fide Abrahe sit scriptum Gen. 15.

ex opere illo, quod ex fide fecit, accepit à domino, ſicuti carnalis cir cunciſio Abraæ, poſtquam credidit promiſſioni Dei de multipli- catione ſeminis, ſignum fuit incredulitatis Abraæ ex corde circun ciſæ, ideſt, iuſtitiæ eius ex fide. Sed illud hic quæri poteſt, cũ Abraã ex fide, & ex operibus, vt ſcriptura teſtatur, iuſtificatus ſit tunc, cum fidei obediuit exire in locum, quem accepturus erat, ſicut Apoſto- lus ait, & cum fide demoratus eſt in terra Chanaam peregrinando, & in caſulis habitando, quare non in iis locis ſcriptura dixerit, cre- didiſſe Abraam, & reputatum eſſe ei ad iuſtitiam, ſed tũc, cum dictũ eſt ei poſtea, ſuſpice coelum, & numera ſtellas, ſi potes, ſic erit ſemẽ tuum, tunc enim ſubiungit ſcriptura, credidit Abraam Deo, & re- putatum eſt illi ad iuſtitiam. Certe ſi hoc propter Abraam tantum ſcriptum eſſet, potuiſſet quidem in illis locis idem dici, cum illic quoque ex fide, & operibus iuſtificatus eſſet: ſed quia non propter ipſum tantum ſcriptum eſt, ſed propter nos, in eo potius loco di- ctum eſt, in quo fidei, & obedientiæ Abraæ, & iuſtitiæ eius imita- tio magis exprimitur, & docetur, vt ſi fides, & obedientia noſtra ſi- milis exiſtat, ſimilem iuſtitiam ſperemus. Quare vt Abraæ reputa- tum eſt ad iuſtitiam credenti ei, qui ſibi, emortuo ſuo corpore, cum iam centum eſſet annorum, & emortua vulua Saræ promittebat in numerabilem ſobolem, vt qui viuificare mortuos poſſet, & huic fi- dei obediens non dubitauit filium ſuum offerre ſuper altare, ſic no- bis reputabitur credentibus in eum, qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, qui mortuus eſt pro nobis. Etenim ſi credimus, ꝙ Deus ſuſcitauit à mortuis Ieſum pro nobis mortuum, credimus ꝙ nos cum eo my ſtice mortuos ſimul ſuſcitauerit, & viuificauerit, vt huic fidei obe- dientes, tanquam iam mortui peccato, ac iuſtificati ab eo per re- miſſionem peccatorum, ambulemus deinceps nõ ſecundum actus veteris hominis cum Chriſto crucifixi, ſed ſecundum actus noui hominis, qui ſecundum Deum creatus eſt per regenerationem ſpi ritualem ex ſemine incorruptibil, qui eſt ſpiritus ſanctus, ambule- mus dico operantes mandata eius. Hoc eſt, quod Paulus docuit inquiens, non eſt autem ſcriptum tantum propter ipſum, quia re- putatum eſt ei ad iuſtitiam, ſed propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, qui traditus eſt propter noſtra delicta, ideſt, qui mortuus eſt pro nobis peccatori- bus, vt mortui cum eo, ſimul quoq; reſurgeremus iuſtificati à pec- cato, ſicut idem Apoſtolus ait, Qui mortuus eſt, iuſtificatus eſt à pec cato, hoc enim ſignificat reſurrexiſſe propter noſtram iuſtificatio-

Heb. 11. Gen. 12.

nõ iustificat fides nisi consummata ope baptismi ·

nem. Sed quo magis intelligatur exemplo Abraæ, qualis sit cuiusq; nostrum fides iustificans, veniamus ad primam fidem, & primam iustitiam fidei, videamus inquam quomodo primum iustificetur homo, vtrum ex fide tantum, an ex fide operata, idest, ex fide, atque obedientia eius, vt est Abraam pater noster secundum spiritum iustificatus, ex fide inquam, & operatione mãdatorum ex fide. Primũ ergo credimus in Christum, deinde mouente dilectione, operamur fidem, consumantes eam in baptismo, qui est, sicut Hippolytus martyr in libro de Antichristo, & consumatione sæculi ait, σφραγὶς τῆς πίστεως, idest, sigillum fidei, ex qua quidẽ fide opere baptismi consumata iustificamur. Ita vt neque fides sola sine opere baptismi ad iustitiam sufficiat, neque opus baptismi sine fide, imo vtrunq; alterũ adiuuet ad iustitiam. Quia enim nemo mouetur ad id, quod ignorat, postquam per fidei lumen cognouimus veritatem, primum quod animum ad diuina mouet, est ipsa dilectio, vt aiebat sanctus Doroth. Dionysio auctore ἡ κατὰ νοῦν ἐπὶ τὰ θεῖα πρωτίστη κίνησις ἡ ἀγάπησις. Addebat deinde, primũ, ad quod dilectio ipsa animum moueat, baptismũ esse, qui sit primus aditus, & initiũ sancte operãdi mandata diuina. Ex quo fit, vt fides non sola, & nuda, vt isti volunt, sed per dilectionem in baptismo operata, iustificet, sicut scriptũ est,

Marc. 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, nõ dixit, qui crediderit tantum, sed qui crediderit, & fidei obediens, idest, fidem per dilectionem in baptismo operans regeneratus fuerit, saluus erit, habet enim iustitia ad quã fides p dilectionem in baptismo operata reputatur, virtutẽ saluandi, idest, cũ Deo vniendi. Licet aũt hic cernere mirabilẽ aliam præter illã, quã supra dixi, imitationem fidei Abraæ, vt .n. ille credidit Dei mortuos viuificantis promissioni de multiplicando semine & fidei obediens obtulit filiũ suũ, quem proposito imolationis iam mortuũ, rursus viuẽtem recepit, sicqui credit in Christũ pro nobis mortuũ, & suscitatũ, & huic fidei obediens in mortẽ eius baptizat, offert se Deo mystice morientẽ, rursus cum eodem resurgens, quod si forte baptizari non possit propter grauem aliquam peristasim, & subitam necessitatem, vt si deesset aqua, aut baptizator, cum sit paratus, vt credens, iam & diligens mandata, huic quidem pro facto reputabitur id voluisse, quod Deo ita volente, prohibitus est operari, vt Abraæ contigit, cui testimonium perhibet scriptura, quod filium immolarit, cum ait, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo. Itaque Eunuchus ille catechumenus Philippi, qui dixit, ecce aqua, quis prohibet baptizari, si postquam ex toto corde cre-

didit, aqua defuisset, & sine baptismo mortuus esset, profecto ba-
ptismus in corde, & desiderio reputatus esset pro baptismo actu. Si
militer si Paulus Dei catechumenus postquã credidit, & fidei obe-
diens dixit, Domine, quid vis me facere? casu quopiam subito, &
aliqua dura peristasi prohibitus, ne baptizari ab Anania posset, in
via interceptus esset, certe pro facto habitum fuisset, quod ex to-
to corde facere voluisset. Similiter dicendum est in omni catechu
meno adulto, in his enim fides est iam per dilectionem operata,
idest, fides cum obedientia copulata, & opus baptismi in corde, ac
proinde fides ex opere veri cordis consumata. Similiter in latro-
ne, cuius iustitiam, qui fidei tantum tribuunt, vehementer errant,
credidit enim & fidei obediuit, vt offerret se Deo toto corde, itaq;
quod facere necessarium erat, si facere potuisset, id toto corde vo-
luisse, quia extrinsecus facere non potuit, pro facto reputatum est
illi, vt iam fides quoque opere cordis consumata illum iustificarit.
In vniuersum enim vera est Pauli sententia, in Christo Iesu neque
circuncisio, neque præputium aliquid valet, sed fides, quæ per di-
lectionem operatur, non dixit sed fides, quæ postea operatur, quæ
est istorum interpretatio, sed quæ iam in opere, & actione est, hoc
enim significat ἐνεργουμένη, vt postea ex multis locis scripturæ san-
ctæ demonstrabo. Verum item, quod tradit beatus Thomas pri.
secun. q. 20. ad quartum, illam esse perfectam voluntatem, quæ da-
ta oportunitate operatur, cum vero non operatur, quia non pos-
sit, tunc defectum perfectionis ex actu exteriore esse inuolunta-
rium, inuoluntarium autem non tollere de premio, neque de poe-
na actus interioris, sitq; hæc voluntas, illa, quæ, vt dici solet, pro fa
cto reputatur. Hactenus ergo de prima fide ex opere baptismi
consumata, quam quidem esse similem fidei Abraæ, quam opere
immolationis consumauit, ipsa quoque Ecclesia ab Apostolis eru
dita non obscure docet, cum in paschali benedictione fontium
baptismalium solenni ritu, & vsu vsque in hodiernum diem ten-
tationem Abraæ, & imolationem Isaac recitat. In baptismo enim, vt
paulo supra iterũ dixi, obtulimus nos Deo, cõmorientes Christo, si-
cuti Abraã obtulit filium suũ, & vt Abraam filiũ suum rursus velut
ex mortuis viuentem recepit, sic nos in Christo mortui, & mystice
oblati, rursus mystice resurgimus, ex quo item Ecclesia in eadem be
nedictione fontium prophetiam Ezech. de resurrectione mortuo
rum recitat, docens præterea eum, qui non operetur mandata, nõ
obedire fidei, quam accepit, & in baptismo consumauit, sic enim

E ii

precatur post lectionem prophetię de illa oblatione Abraę, Deus qui in famuli tui opere humano generi obedientiæ exempla præbuisti, & quæ sequuntur. Quamdiu enim quis non obedit fidei, placere Deo non potest, Quæ ergo istorum fides sine, & ante opera? sic enim loquuntur, idest, sine, & ante obedientiam? si sine obedientia est, quemadmodum placet Deo? iustus (inquit) meus ex fide viuit, quod si subtraxerit se, fidei scilicet, idest, si non obedierit ei, non placebit animæ meæ. Deinde subiungit propheta magis adhuc explicans quod dixerat, At arrogans, & contemptor, vir superbus nihil perducit ad finem, sic enim est apud septuaginta. Iusto ergo ex fide viuenti opposuit superbum, & contemptorem nihil perficientem, quod iustus ex fide viuens is sit, qui fidei obediens, fidem ex operibus consumet, & perficiat, qui vero hoc non faciat, is fidei potius contemptor sit: vt enim legem contemnit, qui legi nõ obedit, sic fidem contemnit, qui fidei non obedit, fidei autem non obedit, qui non facit, quod fides postulat, postulat autem fides, vt qui credit in Christum pro nobis vere mortuum, & suscitatum, & se item cum eo mortuum mystice, & suscitatum, tanquam iam mortuus, & vere iustificatus à peccato, non amplius seruiat ei, sempereq; mortificationem Iesu Christi circunferat in corpore suo, & ambulans secundum spiritum facta carnis mortificet, hæc autem non fiunt sine, & ante opera, vt isti loqui, & tradere solent. Sed de compatiendo per vniuersum vitæ cursum, si corregnare, & conglorificari velimus, satis multa proprio loco dicemus. Veniamus nunc ad locũ Apostoli Roma. 4. de iustificatione Abraæ non ex operibus, sed ex fide, qui locus non discrepat cum loco beati Iacobi, vt plerisque videtur, iis præsertim, qui illius epistolæ auctoritatem hac potissimum ratione, quasi discreparet, negare ausi sunt, imo quemadmodum intelligendus esset hic locus, satis idem Apostolus in ipso statim initio quæstionis propositæ admonuit. Quid ergo (inquit) dicemus inuenisse Abraam patrem nostrum secundum carnem? opera, quę non sunt secundũ spiritũ ex fide Dei, vocat opera secundũ carnẽ, opera inquã facta φυσικῶς, accipiendum est enim per hyperbaton, quæ est frequens apud Paulum figura, vt sit, quid dicemus inuenisse secundum carnem Abraam patrem nostrum, sic quoque accepit Theod. Gręcus, & vetus auctor in cõment. quos in epist. Pauli scripsit, ποίαν φησὶ πρὸ τοῦ πιστεῦσαι θεῷ τὸν Ἀβραὰμ δικαιοσύνην αὐτοῦ δι' ἔργων γεγενημένην ἠκούσαμεν, interpretemur latine, quam inquit, Abraæ iustitiam ex operibus, ante quam crederet, audiuimus? pro-

positum enim erat Paulo, probare nõ iustificari hominem ex operibus, legis quæ non essent opera ex fide, vt ait idem Apost. Gal. 3. opera dico legis, facta quasi opera legis, idest, solum facta, vt qui ea fecisset, viueret in eis, & non moreretur sine misericordia, tanquam præuaricator, qualia sunt opera, quæcunque fiunt φυσικῶς ante fidem, vt Abraæ opera, ante quam crederet. Qui vero sic accipiendum esse existimant citra hyperbaton, vt appellarit Abraam patrem nostrum secundum carnem, nescio, qua ratione, aut consuetudine sermonis hoc defendere possunt, cum enim de cognatione secundum carnem in hac epistola loquitur, sic ait cognati mei secundum carnem, non dixit cognati nostri, & alias, si quomodo ad ęmulandum prouocem carnem meam, non dixit, carnem nostrã, neque enim cum credentibus ex Iudæis tantum, sed etiam cum credentibus ex gentibus loquitur, qui non habebant Abraam patrem secundum carnem, sed secundum fidem. Docens ergo hic neque sub lege, neque ante legem iustificari hominem ex operibus, quæ non sint ex fide, cum dixisset, quoniam quidem vnus est Deus, qui iustificat circuncisionem ex fide, & præputium per fidem, subiungit, quid ergo dicemus inuenisse Abraam patrem nostrum, nostrũ dicit, idest, communem circuncisionis, & præputii, quid inquam dicemus inuenisse secundum carnem, idest, ante spiritum ex fide, vt idem Apostolus alias loqui solet, vt Gal. 5. nos enim (inquit) spiritu ex fide spem iustitiæ expectamus. quid enim inuenerit Abraam spiritu ex fide, testatur scriptura, quæ ait, credidit Abraam Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Conuenit cum hoc, quod paulo post ait in eodem capite, ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei, qui ex lege est solum, sed & ei, qui ex fide est Abraæ, qui est pater omnium nostrum, scilicet non secundum carnem, sed secundum fidem. Similiter ergo in principio capitis appellauit Abraam patrem nostrum, nostrum inquam omniũ secundum fidem. Cum ergo quæsierit Apostolus quid inuenerit Abraam secundum carnem, & statim subiunxerit, si enim ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum, profecto de operibus secundum carnem intelligendum est, hæc enim videre, & laudare possunt, & solent homines, non autem intelligendũ est de spiritu, ac fide cordis, quæ solus Deus videt, & quorum laus est apud Deum, Est itaque repetendum in operibus, ἀπὸ κοινοῦ, illud secundum carnem, vt dicamus, si enim iustificatus est ex operibus secundum carnem, habet laudem, in quo rursus repetendum

Cur opa carnis nō imputētur in iustitiā apud Deū?

est ἀπὸ κοινοῦ, istud idem secundum carnem, vt sit, habet laudem scilicet secundum carnem, cuius laus non est ex Deo, sed ex hominibus, qui tantum vident ea, quæ apparent, ideo ait, habet laudem, sed non apud Deum, apud Deum enim nihil valet, neque prodest caro. Deinde subiungit, Quid enim dicit scriptura? credidit Abraam Deo, & reputatum est ei ad iustitiam, probat Apostolus quòd si Abraam iustificatus est ex operibus secundum carnem, idest, ex operibus, quæ non sunt opera spiritus ex fide, habet laudem, siue mercedem secundum carnem apud homines, quia secundum spiritum ex fide laus est apud Deum, dicit enim scriptura, credidit Abraam Deo, & reputatum est ei ad iustitiam, apud Deum scilicet, atque hoc quidem gratis, quia Deus nihil debet homini, neque debere potest, cum sit creatura eius. Vnde sequitur, ei enim qui operatur, scilicet secundum carnem ἀπὸ κοινοῦ, non imputatur scilicet apud homines merces secundum gratiam, sed secundum debitum, ei autem, qui non operatur scilicet secundum carnem, sed secundum spiritum, credenti in eum, qui iustificat impium, fides imputatur apud Deum secundum gratiam ad iustitiam. Opera ergo secundum carnem negat Apostolus in iustitiam computari à Deo, non autem opera spiritus ex fide, Cur autem ista opera secundum carnem non computentur in iustitiam apud Deum, sed tantum apud homines, illa est ratio, quòd homo constitui potest debitor alterius, non autem Deus, cum nulla sit, neque esse possit naturalis schesis siue respectus Dei erga homines, vt aliquid debeat, vt quidem homo debere potest tum propter naturalem beneuolentiam, & schesim, qua tenetur esse κοινωνικὸς, tum propter mandata, quibus obediendum est, Deus autem nullam habet erga nos naturalem schesim, siue habitudinem, cum ex nihilo omnia crearit voluntate sua sola, neque vllis mandatis, aut lege teneatur. Quare qui est diues in misericordia propter solam suam gratiam, & misericordiam eos, qui operantur conuersi in eum per fidem, iustificat ex fide. Quàm magna.n. (inquit Eccles.c.17 (misericordia domini, deinde declarat in quos existat ista magna Dei misericordia, & gratia, subiungens, Et propitiatio illius conuertentibus se ad eum, rursus explanat quare misericordia Dei sit magna, & solius Dei propria, subiungens, Non possunt esse omnia in hominibus, quoniam non est immortalis filius hominis, & in vanitate malitiæ placuerunt sibi, Quid lucidius sole, & hic deficit, aut quid nequius, quàm quod excogitauit caro, & sanguis, & hoc arguetur, altitu-

dinem coeli ipse conspicit, & homines terra, & cinis, &c. Homines (inquit) cum sint mortales, & peccatores, neque omnia omnes habeant, sitq; eorum inter se multiplex schesis, existit quoque multiplex ratio, cur alii aliis iure quodam benigni esse debeant, siue in tribuenda alteri venia, quia & ipsi peccare possunt, quamlibet magni sint, siue opem ferendo, & opitulando, quia & ipsi egere possunt ope, & opitulatione, cum non omnia habeant, denique quia omnes homines mortales sunt, iure communionis naturæ, & cognationis naturalis debent alii aliis inter se præsto esse, quæ quidem non est proprie misericordia, sed quædam ratio debiti, vt enim ait Clemens in secundo libro Stromat. proprie miseretur maior minoris, homo autem homine natura neque maior est, neq; melior. Proprie itaque Deus, vt idem explicat deinceps, misericordiam, & gratiam facit, misericordia enim gratia est. Cum ergo operanti secundum carnem, secundum debitum, & non secundũ gratiam merces computetur, vt Apostolus ait, Deus autem nihil debeat creaturæ suæ, sequitur, vt ex operibus istis non iustificet Deus operantem, id enim esset, computare ei mercedem secundum debitum, quod Deo quidem conuenire non potest, cum sit omnium dominus, & auctor, homo vero creatura eius mortalis, sicut subiungit idem Ecclesiasticus inquiens, virtutem altitudinis coeli ipse conspicit, homines autem terra, & cinis. Cur enim Deus ex solis operibus absque fide, & interiore, atque spirituali eius ad Deum conuersione hominem iustificaret? nisi quia more hominum, qui non aspiciunt nisi in opus exterius, debitor esset, homines enim facienti opus, quocunque animo faciat, mercedem iustam reddunt, & rursum homo faciens opus iniunctum, & præscriptum, siue amico, siue inimico animo faciat, quod solius Dei est iudicare, laudem, & mercedem fert ab homine, at non sic Deus, sed potius cum spiritus sit, qui adorant, & seruiunt ei, in spiritu, & corde oportet adorare, & seruire, vt secundum gratiam iustificentur ab eo. Itaque in charitatem cordis puri & conscientiam bonam, & fidem non fictam aspicit Deus, cuius laus non est ex hominibus, qui non vident nisi in manifesto, sed ex Deo, qui videt in abscondito. Clarissime potest hoc perspici in parabola euangelii de operariis conductis, in qua culturam vineæ vocat ipsam fidem cum mandatorum operatione, vnde iustitia nostra existit non secundum debitum, sed secundum gratiam ipsius vocantis, ipse enim secundum propositum gratiæ suæ computat hæc nobis in iustitiam, quæ in

nobis est, qua nos iustificat, quod idem dominus significauit inquiens in eadem parabola, & quod iustum est dabo vobis, nō dicit, quod debitum erit, dabo vobis, vt loqui solet, qui constituit alteri mercedem secundum debitum, & non secundum gratiam, sed sic, quod iustum est, dabo vobis, quod iustum inquam erit secundum gratiam meam, hanc enim iustitiam secundum gratiam, & non secundum debitum significauit, cum in eadem parabola dixit murmurantibus, an non licet mihi quod volo facere? quod perinde est quasi diceret, an non iustum est, quod volo ex misericordia? statim enim subiungit, An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum, bonitatem enim vocat misericordiam, siue gratiam. In hac itaq; parabola eis, qui nouissima hora venerunt ad culturam vineæ dedit primum tantundem, idest singulos denarios, vt dedit iis, qui plus laborauerāt, idest, qui tertia, & sexta, & nona hora venerāt. Cur hoc? nisi, vt ait sanctus Nilus Chrysostomi discipulus in epist. ad Agathium, quia quod operi defuit, studio voluntatis, & alacritate animi, ac diligentia compensarunt, non enim in opus secundum carnem aspicit Deus, quasi debitor, vt homo, absit, sed aspicit secundū gratiam, & misericordiam suam in cordis ad Deum conuersionem, idest, in fidem ex dilectione, misericordia enim eius, ait Eccles. conuertentibus se ad Deum. Significat præterea æqualitas mercedis singulorum denariorum æqualitatem fidei per dilectionem operatę in eo, q; omnibus siue maior, siue minor sit, computetur in iustitiā omni credenti, vnde beatus Petrus 2, c. 1. hac ratione fidem vocauit coæqualem in iustitia, ἰσότιμον enim æquale in prætio, & æstimatione declarat. In hanc parab aspexisse mihi videtur Apostolus Paulus, vt hoc obiter obseruem, cum loquens de Iacob typo electorum ex vtero antequam natus esset, secundū præscientiam Dei ad gratiam iustitiæ, & amicitiæ Dei vocato, nō ex operibus (inquit) scilicet secundum carnem, quibus respondet debitum, sed ex vocāte, idest, sed secundum gratiam eius, qui vocauit, dictum est, maior seruiet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Sed persequamur locum coeptum, Probat Apostolus in eodem loco neminem iustificari ex operibus secundum carnem, de his enim, vt dixi, erat sermo, subiungens, Sicut & Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus computat iustitiam sine operibus, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, Beatus vir, cui non computabit dominus peccatum, vt pote vere confitenti, hoc enim significat, quod statim subiungit, neq; est in

ore eius dolus. quod autem verbum λογίζεσθαι computare interpretamur, pro quo iam tritum est imputare, ideo fecimus, quod λογίζεσθαι verbum sit ratiocinandi de pecunia, vnde λογιστὴς dicitur, qui rationes conficit, obseruarunt hoc ante me interpretes græci, ὅτι ὡς ἐπὶ λογοθεσίου μέλλοντος τὸ λογίζεσθαι τέθεικεν, ἀκριβῆ δηλῶν τοῦ δικάζοντος ἐξέτασιν, idest, vsus est (inquiunt) propheta verbo λογίζεσθαι, tanquam in ratione subducenda, vt declararet perfectum iudicis examen, magis itaque conuenit verbum computandi cum denario euangelicæ parabolæ, & cum eo quod Petrus fidē vocat ἰσότιμον, idest, æqualis prætii, siue æstimationis in iustitia. Sed redeamus ad locum psalmi, in quo nihil auditur de operibus secundum carnem, quasi ea computentur in iustitiam, ita vt propter hæc debeatur beatitudo, quin potius sine operibus istis per solam gratiam, & misericordiam iustificat Deus, remittit peccata, & saluat, quod tamen hæc non faciat absque operibus fidei, & spiritus docuit in eodem loco idem Dauid in seipso ad nostram eruditionem, hortans enim ad poenitentiam, & cōfessionem peccatorum, subiungit, Delictum meum manifestaui, & peccatum meum non abscondi, dixi, Confitebor contra me peccatum meum domino, idest, simul vt dixi in corde meo. confitebor, statim inquam vt volui vere confiteri, dicens peccaui domino, vt dixit 2. Reg. c. 11. hoc enim significat, dixi, confitebor, tu (inquit) remisisti impietatem cordis mei, idest, statim destitisti computare mihi peccatum, & computasti iustitiam saluans me, qui perieram peccādo, & tacendo peccatum meum domino, sicut idem paulo supra dixerat, Quoniam tacui inueterauerunt ossa mea, & quæ sequuntur. Remisisti ergo (inquit) impietatem cordis mei non credenti tantum, sed poenitenti, & confitenti ex corde peccatum meum domino. Deinde subiungit, pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno, id est, omnis qui voluerit esse sanctus poenitendo, & confitendo peccatum suum exemplo Dauid orabit veniam impietatis suæ, tempore opportuno dixit, idest, tempore confessionis faciendæ, vt si necesse sit communicare, vt quidem est, cum videtur instare tempus recedendi ex hac vita, tunc enim viatico coelesti opus est, aut in pascha, sicut scriptum est Nume. 9. Si quis autem mundus est, & in itinere non fuit procul, & tamen non fecit phase, exterminabitur anima illa, quia sacrificium domino non obtulit tempore suo, peccatū suū ipse portabit, quod quidē de pascha mystico nostro prophetice scriptum est. Quia vero oratur venia tum per poenitentiā

& confeſſionem,tum etiam per baptiſmum, in quo maior,& abundantior remiſſio impietatis fit, ſubiungit, prædicens tempus noui teſtamenti, verumtamen in diluuio aquarum multarum ad eum nõ approximabunt, quod perinde eſt quaſi diceret,orabit quidem omnis, qui ſanctus eſſe voluerit pro remiſſione impietatis,ſed in baptiſmo abundantiorem gratiam obtinebit, vt enim (ſicut ait beatus Petrus) in arca Noe paucæ,ideſt, octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam, ita vt illud diluuium nihil eis noceret, neque attingeret, ſic ſimilis formæ baptiſmus à diluuio peccatorum omnium,quæ in infidelitate fuerunt,ita ſaluat, vt nulla contagio, aut labes illorum reſideat in eo,qui per baptiſmum ablutus,& ſanctificatus eſt. Ergo vt ad propoſitum redeamus, docuit Apoſtolus ante legem exemplo Abraæ,& ſub lege auctoritate, & exemplo Dauid iuſtificari quidẽ hominem ſecundum gratiam abſque operibus, ſcilicet ſecundum carnem(huiuſmodi enim operibus,non ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum merces reſpondet apud homines, Deus autem, vt dixi,nemini poteſt quicquam debere)non tamen iuſtificari abſq; operibus fidei,& ſpiritus,quod enim dixit Dauid, Beatus vir,cui nõ computabit dominus peccatum,neque eſt in ore eius dolus, intelligendum quoque eſt ἀπὸ κοινοῦ in ſuperioribus, beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates,& non eſt in ore eorum dolus.Significat autem non eſſe dolum in ore, veram confeſſionem ex corde,ideſt, ex vera poenitentia proficiſcentem, poenitentia vero opus quoddam eſt, item vera confeſſio, ac opus quidem non ſecundum carnem, qualis eſt confeſſio oris ſimulata, & ieiunium ad oſtentationem,& oratio oris tantum,& nõ mentis,& alia huiuſmodi,quæ nõ ſunt ſpiritualia, ſed potius poenitentia κατόρθωμα eſt τῆς πίστεως,vt ait Clemens Alexand. ideſt, opus excellens ex fide, opuſq; ſpirituale, ex operibus ergo ſpiritualibus fidei iuſtificatur homo.Qui enim dixit, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata,& cui non computabit dominus peccatum, adiunxit ad iſta omnia,neq; eſt in ore eius dolus,ſiue vt eſt in aliis exemplaribus,neque eſt in ſpiritu eius dolus. quod in eandem ſententiam redit,idem .n. ſignificat interdum ſpiritus, quod os,quo ſpiramus, vt illud,orabo ſpiritu,ideſt, ore, orabo & mente . Itaq; cum ait Apoſtolus,ei autẽ qui nõ operatur:credenti autem in eum,qui iuſtificat impium,computatur fides in iuſtitiam,intelligendum eſt,ei, qui non operatur ſecundum carnem,ſed potius credit & obedit fidei,imputari iuſtitiã, nihil enim prodeſt credere,niſi fidei obediatur,obedire autem fidei

operari est ex fide per dilectionem. Vt iam opera illa, vt dixi, neget Apostolus computari in iustitiam, quæ sunt opera secundum carnem, non autem opera ex fide per dilectionem facta, ex his enim iustificatur homo. Clarius adhuc idem propheta docuit hoc, cum subiunxit paulo post, pro hac orabit ad te omnis sanctus, ergo non erit sanctus, qui non orabit pro remissione impietatis poenitendo, & cõfitendo exemplo Dauid. Huiusmodi igitur oratio pro peccatis computatur ad sanctitatem, ac iustitiã, oratio autem opus quoddam est, ergo ex operibus iustificatur homo. Quomodo ergo isti fide tantum ante vllum opus poenitentiæ, ac confessionis, qua veniam petant, iustificari se iactant? Quòd vero Paulus & in testimonio de iustitia Abraæ ex fide, opus immolationis Isaac reticuit, contra quàm fecit Iacobus, & in testimonio Dauid de eo, cui non computabit dominus peccatum, etiam reticuit opus, quod sequitur in illo ipso psalmo, illud scilicet, quod ait, neque est in spiritu, siue in ore eius dolus, quod significat opus veræ confessionis, ideo fecit, quia satis tũc visum est docere, iustificari hominem absq; operibus secundum carnem. Sed videamus rursus de eo, quod paulo supra dixit Apostolus, Arbitramur enim hominem iustificari p fidem absque operibus legis, quale hoc sit, & quorsum, vt intelligant Luterani, non secum neque cũm dogmate suo facere, sed contra potius. Qui enim ex Iudæis ad fidem veniebant, volebant simul cum fide euangelii retinere opera legis corporalia, vt circuncisionem, ieiunia, sabbati quietem, ciborum differentiam, & alia huiusmodi, quasi non possent absque operibus istis iusti esse coram Deo, & Dei amici. Quare studebat Apostolus abducere illos ab hoc errore, docens non posse legem ex parte seruari, & ex parte relinqui, circuncisio enim (aiebat) prodest, si legem obserues, quod perinde erat, quasi diceret, age, circuncide te, esto, sit tua circuncisio vtilis, si quidem totam reliquam legem serues, sed si totam non seruas, & hoc ipso, quòd totam legem non seruas, præuaricator legis es, quid prodest circuncisio? nonne in præputium versa est? aut ergo (inquit) circuncisionem relinque, aut totam legem serua. In eandem sententiam scripsit Galatis, qui in eodem errore erant, testificor (inquit) omni homini circuncidenti se, q debitor est vniuersæ legis faciendę, quod perinde erat, quasi diceret, vt sanctus Nilus beati Chrysostomi discipulus hunc locum explanãs in epistola ad Synomiũ ait, si circuncideris, sabbatiza etiam, sacrificã, cane tuba, et laua quotidie iudaiçe, & vt summatim dicam, fac reliqua legis, ne eius

sis prævaricator. Alia nunc ratione ab eadem opinione eosdem reuocat, qui quia rursus suspicabantur absq; istis operibus nō posse iustificari in euangelio, probat ne sub lege quidem ex vllis operibus legis, quasi ex operibus legis hominem iustificari potuisse, vocat enim opera legis illa omnia, quæ in lege Moisis sancita erant, quæ qui faceret, viueret in eis, qui non faceret, non viueret, siue ad decalogum pertinerent, qui est omnium communis, siue ad iudicia, & cerimonias, quæ erant Iudæorum tantum. Etenim si ex huiusmodi operibus legis, quasi operibus legis homo iustificabatur, sequebatur, vt Iudæorum tantum Deus esset, non etiam & gentiū, vt ad quas nō pertinerent opera vlla legis, quasi opera legis, Deus enim non esset Deus eorum, quos à iustitia excluderet, at est Deus omnium, quare ex iis, quæ possunt esse omniū communia Iudæorū, & gentium, idest, quæ non sunt opera legis quasi opera legis, vt fides, & opera spiritualia, siue virtutes Dei, iustitia existit.

Ope legis. Sed de operibus legis, quia quæstio est non parua, neque facilis, scripturas sanctas sequentes, accuratius quæ sint, & primum quot eorum genera explicemus, vt quomodo ex eis iustitia existat, planius, ac distinctius doceamus. Est igitur in scripturis duplex genus operum legis, alia sunt τὰ περιττὰ legis, vt illa, quæ ad iudicia, & cerimonias, ac ritus peculiares pertinebant, solis Iudæis præscripta, quæ dici possunt leuiora legis, siue non necessaria legis, non quod omitti, aut prætermitti liceret, si fieri possent, vt dominus dixit de decimis leuiticis, sed quia neq; ad omnes pertinebant, neq; erant permansura in euangelio, quæ iam cessarunt. Alia sunt, quæ iidē patres appellare solēt τὰ ἀναγκαῖα legis, idest, necessaria, quæ dominus appellauit grauiora legis, quæ omnia spectabant, & ad iudicium, vt est in euangelio Matth. sic enim vocat bonam conscientiam, quæ natura discernit bonum à malo, & ad misericordiā siue charitatem, vt Lucas ait, & ad fidem, quæ ad decem capita decalogi Mosaici, ceu ad decem fontes legis naturæ reuocantur, quæ sunt scripta in cordibus omnium, quæ quidem si fiant quasi opera legis, idest, vt lege illa seruitutis, quæ propria erat Iudæorum, sancita erant, si fiant, inquam, non ex fide, ac dilectione, lex enim non erat ex fide, sed sicut scriptum est, qui fecerit ea, viuet in eis, sic homo non iustificatur ex eis. Sic enim esse accipienda opera legis, ex quibus iustificari negat Apost. ex ipso Apost. intelligi potest, cum Rom. 9. ait, Israel sectando legē iustitiæ ad legē iustitiæ non peruenit, subiicit enim deinde rationem, quia (inquit) non ex fide, sed quasi

ex operibus, quid vero ſit nō ex fide, ſed quaſi ex operibus ſectari iuſtitiā, rurſus intelligi poteſt, & quidē clarius ex c. 4. Si n. (inquit) qui ex lege, hæredes ſunt, exinanita eſt fides, abolita eſt promiſſio, ſed cur ita, declarat ſubiungens, Lex enim (inquit) iram operatur, quaſi eſſe ex lege, ſit facere opa legis timore ſupplicii, quo lex irata afficiat violatores, ex fide vero eſſe, ſit facere ex dilectione, qui enim perfecte credit, diligit, & qui credit & diligit, ſermones eius, quem diligit, ſpōte facit. De hoc timore ſcripſit in epiſtola ad Hebræos, veniſſe Chriſtum, vt per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, ideſt, diabolum, quod ad omnes redemptos pertinebat, & vt liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſeruituti, quod ad Hebræos ipſos retulit Apoſtolus, qui erāt ſub lege ſeruitutis. Rurſus Apoſtolus in epiſtola ad Galat. c. 4. lex (inquit) non eſt ex fide, deinde declarans, quid eſſet non eſſe ex fide, ſubiungit, ſed qui fecerit ea, viuet in eis, quod perinde eſt, quaſi diceret, lex non eſt poſita iis, qui fidem habent, perfectam ſcilicet, & ſpiritualem, quæ non eſt à dilectione ſeparata, hi enim non operātur quaſi ex lege, ideſt ex timore poenæ, qua lex eſt ſancita, ſed ex dilectione, ac pietate, ſed potius poſita eſt iis, quibus opus eſt timore ſupplicii humani, quo leges ſcriptæ ſanciuntur. Hunc enim timorem proponit ſcriptura, quæ dicit, ſed qui fecerit ea, viuet in eis, ex quo rurſus intelligebatur, vt qui non faceret ea, non viueret in eis, ſicut ſcriptum eſt in Ezech. c. 20. Et leuaui (inquit) manum meā in deſerto, vt diſpergerem illos in gentibus, & diſſeminarem eos in regionibus, eo quòd iuſtificationes meas non fecerunt, & præcepta mea repulerunt, & poſt cogitationem patrum ſuorum fuerūt oculi eorum, & ego dedi eis præcepta non bona, & iuſtificationes, in quibus non viuent in eis. Explicauit enim, cur dixiſſet prçcepta, & iuſtificationes non bonas, nempe quia illa iſti in malum ſuum vertiſſent non obediendo, ſic enim factum eſt, vt minas malorum in lege propoſitas experirentur. Denique quid ſit, quod Apoſtolus dixit, legem, ſiue opera legis non eſſe ex fide, ſed qui fecerit ea, viuet in eis, magis adhuc explanaſſe mihi videtur in epiſt. ad Timo. 1. c. 1. erant enim ex Iudæis, qui circūciſionē, & alios ritus cū euangelio coniungere docerent, ideſt, iuſtitiam, quæ ex lege erat. cum iuſtitia ex fide, quos iuſſit Timo. monere, ne aliter docerent, ideſt, ne legem traderent, ἑτεροδιδασκαλεῖν enim dixit, pro eo quod eſt, νομοδιδασκαλεῖν, vt paulo poſt explanat, cum ait, volentes eſſe legis doctores, & ne intenderet fabulis, & genealogiis interminatis, quæ

quæstiones (inquit) præstant, magis quàm ædificationem in fide, quem locum imitatus, & interpretatus est, vt mihi quidem videtur beatissimus martyr Ignatius in epistola ad Magnesienses. Nolite (inquit) errare in aliena doctrina, neque attendatis fabulis, & genealogiis, sic enim Ignatii paraphrastes, potius quàm interpres vertit. ἑτεροδοξίας vero appellasse videtur, quas Apost. ἑτεροδιδασκαλίας appellat. Deinde subiungit, si enim vsque nunc secundum legem Iudaicam viuamus, negamus gratiam accepisse, sancti enim prophetæ secundum Iesum Christum vixerunt, & quæ sequuntur. Iactabant itaque isti habere se patrem Abraam, ad quem genus referebant repetita longa serie maiorum, qui circuncisionem Abrahæ, & legem Moisis secundum carnem seruassent, in quo gloriam sitam esse falso putabant, suspicabantur enim Abraam ex circuncisione, quasi ex opere quodam legis laudem, & gloriam apud Deum habuisse. Deinde quia iusserat Apostolus Timotheo, denunciare istis, ne aliter docerent, & ne attenderent fabulis, & genealogiis, declarat, quorsum denunciatio ista spectare deberet subiungens, finis autem denunciationis charitas de corde puro, quod perinde est quasi diceret, hoc eum denunciare, & præcipere debere, nempe vt doceant non quidem legem, sed dilectionem de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, hæc enim est euangelicæ doctrinæ summa, vt credamus, & fidem per dilectionem operemur, quæ sic sunt inter se connexa, vt dissolui, ac separari non possint, neque enim potest fides non simulata, idest, fides vera, quæ cor purificat, à sancta dilectione seiuncta esse, imo necesse est sancte diligere, cui vere credimus, neque rursus fides, & dilectio à bonæ conscientiæ testimonio separari possunt, hæc enim faciunt, ne quid à nobis fiat, in quo nos cor nostrum reprehendat, quæ est bona conscientia, est enim conscientia, vt sanctus Doroth. in libro περὶ συνειδήσεως diffinit, ratio quædam instar scintillæ illuminans mentem, & discernens bonum à malo, indita animæ à Deo, cũ hominem creauit, quę est lex naturalis, vt idẽ ait, cui oẽs patriarchæ ante legem scriptam obsequentes, placuerunt Deo. Sequitur, à quibus quidam aberrãtes voluerunt esse legis doctores, nõ intelligentes, neque quæ loquunť, neque de quibus affirmant, relictis enim fide, dilectione, & operibus fidei, quibus solum studere debebant, tradebant legem Moisis, vt à Deo datam non esse reprehendẽdam, sed defendendã, & seruandã, quasi illam reprehẽderet Apostolus, quod doceret antiquatam esse, ac cessasse iam. Idcirco enim subiungit statim, scimus autem, quod bona

est lex, si quis ea legitime vtatur, vt quidem vtebatur idem Paulus, qui se aiebat p legem legi mortuũ esse, ipsa enim lex vetus docebat, futurũ esse Messiã in lege, & prophetis promissum, finem legis in iustitiã omni credẽti, quod quidẽ credere, & ita operari erat legitime vti lege. Subiungit deinde, Scientes quia lex nõ est iusto posita, sed iniustis, & nõ subditis, impiis, & peccatoribus, sceleratis, & cõtaminatis, parricidis, & matricidis, homicidis, & fornicariis, masculorũ concubitoribus, plagiariis, mẽdacibus, periuris, & si quid aliud sanæ doctrinę aduersatur, quæ est ſm euangeliũ gloriæ beati Dei. Hæc (inquit) prohibet lex vetus, quæ omnia poenis quidem sanciebat propter iniquos, & cõtemptores, vt vel metu poenæ se abstinerent, aut si nollent, lege velut laqueo quodam constricti poenas darẽt, sicut ait Salomon Prou. 13. Lex sapientis fons vitæ, deinde subiungit de lege posita iniquis, insipiẽs sub laqueo morietur, & Sapien. Sirach. c. 21. Compedes (inquit) pedibus castigatio stultis, & quasi vincula manuũ in manu dextra. castigationem enim & vincula vocat legẽ punientem, & vincientem. Iustus vero nõ eget huiusmodi lege, cuius lex est charitas pura, bona cõscientia, & fides vera, ex quibus iustificatur, & viuit, sicut scriptũ est, lex sapientis fons vitæ, qui quidẽ ex fide, ac dilectione ab his omnibus, quæ hic Paulus enumerauit, se abstinet, quæ euangelium quoq; prohibet, hoc enim significat quod ait, & si quid aliud sanæ doctrinæ aduersatur, quæ est secũdũ euangeliũ. Ex his ergo opibus legis quasi operibus legis, idest si fiant non quidem ſm spiritum ex fide, sed ſm carnem ex timore, vt sicut lex dicit, faciens ea viuat in eis, sic nõ iustificatur homo, rursus vero ex eisdem, non quasi ex operibus legis, idest, si fiant ex fide, ac dilectione, quæ sunt fructus spiritus, & Dei dona, sic iustificatur. Ex operibus itaque legis, quasi ex operibus legis nõ iustificatur homo, ex operibus vero legis, quasi ex operibus fidei iustificatur, idest, cũ quis ea operatur ex bona conscientia, ac non potius ex timore tantum poenæ humanæ, neq; quia laudem quærat apud homines, sed quia timeat Deum timore casto, & honorem apud Deum sectetur, hic iustificatur ex eis, sicut Apostolus dixit de gentibus quæ sibi ipsis sunt lex, iustificandas esse, quia naturaliter, quæ legis sunt, facerent, testimonium reddente illis conscientia, & beatus Petrus in Actis Apost. in omni gente (inquit) qui timet Deũ, & operatur bonũ, acceptus est illi, qui autem acceptus est Deo, hic iustus est apud Deũ, proprietas enim iustitiæ est facere acceptum, & amicum Deo. Iustificatur ergo homo ex timore casto Dei, qui non potest esse

ſine fide vera, & ex operibus bonis, pro eo enim quod Paulus dixit de gentibus, ꝙ natura ea, quæ legis ſunt, faciunt ex bona conſcientia, de eiſdem dixit Petrus, ꝙ operentur bonum, ideſt ea, quæ legis ſunt, ex timore Dei, quem ſcilicet naturaliter cognouerunt. Ex operibus itaque legis neceſſariis, & naturalibus, ideſt, quæ ſunt à Deo ſcripta in cordibus, quæ ad decalogum legis pertinent, & perpetua ſunt, factis quaſi operibus legis, ideſt, non factis ex fide per dilectionem operata, lex enim vt Apoſtolus ait, non erat ex fide, nemo tunc ſub lege iuſtificabatur, neque nunc ſub euangelio, ex eiſdem vero non ſic factis quaſi operibus legis, ſed ſpiritu ex fidei iuſtificabantur tunc, & nunc iuſtificamur. rurſus ex aliis operibus legis non naturalibus vſque ad tempus correctionis impoſitis, ex quo temporalia dici poſſunt, quæ iam deſierunt, quaſi ex operibus legis, ideſt, carnaliter etiam, & non ſecundum ſpiritum ex fide factis nemo item iuſtificabatur, ex eiſdem vero factis ex fide per dilectionē operata iuſtificabantur, vt ſcriptura ipſa docet. Non enim computabatur in iuſtitiam carnalis agitatio ſabbati Moſaici, quod erat proprium Iudæorum, ſed agitatio ſpiritualis, ſpiritualis ſabbatiſmi, qui eſt communis omnium gentium, quæ timent Deum, & operātur iuſtitiam, ad quem quidem ſabbatiſmum ſpiritualem ſabbatum illud carnale tanꝙ ſignum ad ſignatum, & vmbra ad corpus referebatur, ſic enim ſcriptum eſt in lege de ſabbato Exod. 13. Pactum eſt ſempiternum inter me, & filios Iſrael, ſignumqꝫ perpetuū Et rurſus per Ezec. c. 20. & ſabbata (inquit) mea dedi eis, vt eſſent ſignum inter me, & inter eos, deinde declarans per Moiſem quomodo eſſet ſignum, ſubiungit, vt ſcirent ipſi, quia ego dominus, qui ſanctifico eos. Eo ergo ſpectabat corporalis illa quies ſabbati Iudaici, vt meminiſſent Iudæi ſe ab eo electos, & ſanctificatos eſſe, qui diem ſeptimū mundo perfecto ſanctificaſſet, & in eo ab omni opere, quod patrarat, requieuiſſet, laborarentqꝫ omni ſtudio virtutum in recipienda ſanctificatione, & ab omni peccato vacarent, id eſt, ab omni ſeruitute diaboli in cultum, & honorem eius, qui eo die ab omni opere ſeruili vacare iuberet. Hic eſt ſabbatiſmus ſpiritualis, cuius laus eſt ex Deo, & qui ad iuſtitiam, & ſanctificationem agitanti illum computabatur. ſimilis ratio eſt in reliquis feſtis Iudæorum, vt Paſchæ, tubarum, & tabernaculorum, &c. erant enim ſigna, ac memoriale inter Deum, & populum, ſicut de Paſcha ſcriptum eſt, Et habebitis hunc diem in monimentum. Et rurſus, cum dixerint vobis filii veſtri, quæ eſt iſta Religio? dicetis eis, victima

tranſitus

transitus domini est, qui transiuit super domos filiorum Israel ex Aegypto, percutiens Aegyptios, & domos nostras liberans. Deinde subiungit Moises, & incuruatus populus adorauit. Fides ergo, atque obedientia (vtrunque enim significabat adoratio cum incuruatione) erant illa, quibus Pascha spiritualiter, & Deo placentes celebrabant, sicut Paulus ait, fide Moises celebrauit Pascha, & sanguinis effusionem, ne qui vastabat primitiua, tangeret eos, fides autem simul, & obedientia, quæ communes omnium esse possunt, ad iustitiam imputantur. Similiter in sacrificio binorum agnorum singulis diebus, post descriptionem illius subiungit scriptura, & scient, quia ego dominus eorum, qui eduxi eos de terra Aegypti, vt inuocarer ab eis, & essem Deus eorum, sic enim est apud septuaginta. hic quoque satis docuit scriptura, quemadmodum per se quidem, idest, secundum carnem, siue secundum litteram legis nihil sacrificium illud corporale ad iustitiam coram Deo valeret Iudæo, sed fides, & obedientia fidei, idest, hoc solum valere, si fidei, qua se potenti manu Dei ex Aegypto eductos, & liberatos profiterentur. obedirent, vt sacrificarent in memoriam accepti beneficii, hoc enim significat, vt inuocarer ab eis, idest, vt sacrificaretur mihi, inuocat enim, qui sacrificat. Scire ergo se esse eductos à Deo ex Aegypto, idest, hoc credere, & per huius fidei obedientiam eum inuocare sacrificando, imputabatur ad iustitiam, hoc enim significat, quod statim adiungit, vt essem Deus eorum, Deus enim non est Deus peccatorum, qui mortui sunt, sed iustorum, idest, ex fide viuentium. Sic fiebat sacrificium iuge spirituale, quod computabatur ad iustitiam, lex enim spiritualis erat, vt Apostolus ait. Nisi longum esset pergerem per reliqua huiusmodi opera legis, vt ostenderem neminem vnquam ex istis operibus legis carnalibus, sed spiritualibus iustificatum, idque scripturam ipsam veterem accurate admonuisse, vt in cibis, munda ab immundis carnaliter distinguere, non iustificabat coram Deo, sed coram hominibus, qui tantum vident ea, quæ apparent. Qui vero esset spiritus huius legis de separandis mundis ab immundis, idem dominus paulo post docuit, Leuit. c. 20. Separate ergo (inquit) vos iumentũ mundũ ab immundo, & auem mundã ab immũda, ne polluatis animas vestras in pecore, & auibus, & cunctis reptilibus terræ, quæ vobis ostendi esse polluta. Deinde subiungit, quod ad spiritum legis huius pertinet, eritis mihi sancti, quia ego sanctus sum, ego dominus, & separaui vos à cunctis populis, vt essetis mei. Significat ergo eo spectasse legem de separatione mun-

dorum ab immundis tanquam signum, vt quisque Iudæorum meminisset, vt se in primis à consuetudine Gentilium, & à moribus, ac ritibus eorum tanquam immundorum, imo ab omni inquinatione, & immunditia peccati separaret, vt sancti, ac puri essent, & digni, qui essent filii Dei, ac proinde iusti, & beati. Ergo discretio spiritualis mundorum, & immundorum, cui seruiebat discretio illa corporalis, sicut littera spiritui, & corpus animæ, illa inquam erat, quæ ex fide eius, qui hoc præcipiebat, placebat Deo, & in iustitiam computabatur. Rursus quod iustificaretur Iudæus ex operibus legis siue perpetuis illis, & naturalibus, quæ ad legem decalogi pertinent, siue aliis non naturalibus, & caducis, ex vtrisque vero non quasi operibus legis, sed factis spiritu ex fide, cum ex infinitis locis aliis intelligi potest, tum clarissime omnium ex Esaia, qui locus instar innumerabilium apud eos, qui credunt scripturis, esse debebit. Ergo cum metu belli, quod Esaias prædixerat, vniuersus populus perterritus esset, qui erant inter Iudæos religiosiores, continuo se ieiuniis, & precibus dederunt, vt sic Deum placarent, qui tamen legem Moisis nō seruabant. Quamobrem, quia obliti criminum suorum εἰς δικαίωσιν καὶ ἁγιασμὸν (vt Cyrillus ait) idest, ad iustificationem, & santificationem sola ieiunia, & precationes satis esse existimabant, iussit Deus prophetæ, vt admoneret, idcirco se non exaudire eos, neque eorū precibus annuere, quia non essent iusti, deprecatio enim iusti ἐνεργουμένη, sicut ait scriptura, multum valet apud Deum, ἐνεργουμένην dixit orationem cum operibus coniunctam, eorum enim, qui non sunt iusti, quia scilicet non faciunt iustitiam, non est oratio ἐνεργουμένη. Clama ergo (inquit) vehementer, & ne parcas, quasi tuba exalta vocem tuam, & anuncia populo meo peccata eorum, & domui Iacob iniquitates eorum, me etenim de die in diē quærunt. Assiduas preces, & ieiunia significat, & vias meas scire volunt, idest, quorsum euasura sit prædictio belli futuri, & quis rei exitus, scire inquam volunt quasi populus iustitiam faciens, idest, perinde quasi iusti sint, qui enim iustitiam facit, iustus est. Sequitur deinde, rogant me iudicia iustitiæ, & appropinquare Deo cupiunt dicentes. quare ieiunauimus, & non aspexisti? humiliauimus animas nostras, & non cognouisti? Certe cum isti frustra ieiunabant, & precabantur, tamen fidem habebant, & Deo confidebant, alioqui neque ieiunia, neque preces adhibuissent. quis enim ieiunandi, & precandi studio, ac religione placare Deum studeat, cui non credat, neque fidat? Quæ quidem fides, & fiducia ista, si ad iustitiam satis erant, vt isti volunt, erāt

ergo iusti, cum ieiunabant isti, & precabantur, at dominus rogatus ab eis, causam reddit cur eos alioqui ieiunantes, & precantes non exaudiret. quia (inquit) in diebus ieiunii vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis, ecce ad lites, & cōtentiones ieiūnatis, & quæ sequuntur, quod perinde est, quasi diceret, causam esse, cur non exaudiret, quia quasi iusti ieiunarent, & precarēt, cum tamen non essent iusti, quid autem facere debeant, vt tanquam iusti precentur, ac ieiunent. ac tunc quidem exaudiātur, docet propheta subiungens, Non hoc ieiunium elegi per diem affligere hominem animam suam. & rursus paulo post, nō tale elegi ieiunium, dicit dominus, sed dissolue omne vinculum iniquitatis, sic vocat auaritiam, sicut Apostolus vocauit laqueos diaboli, cum ait, qui cupiunt diuites esse, incidunt in laqueos diaboli. sequitur, & iniquitates violentarum cautionum. Sic enim est apud septuaginta. hæc quoque ad artem auaritiæ pertinent, & dimitte eos, qui confracti sunt, idest, iniquis istis, & auaritiæ plenis contractibus irretitos, & oppressos solue, & dimitte liberos, & omnem scripturam iniquam scinde, syngraphas de vsuris soluendis ait beatus Cyrillus significari. Quia vero non satis est ad iustitiam, declinare á malo, sed oportet facere bonum, subiungit, Frange esurienti panem tuum, & pauperes sine tecto induc in domum tuam, si videris nudum, operi eū, & propinquos seminis tui ne despexeris, hæc sunt opera illa legis grauiora, quæ paulo ante dicebamus, & necessaria, quæ si fiant quidem non quasi opera legis, ex eis iustificatur homo. Idcirco subiungit, tunc erumpet quasi mane lumen tuum, quid enim appellet lumen matutinum, rursus declarat, subiungens, & orietur cito sanitas tua, & præcedet ante faciem tuam iustitia tua, significat ergo statim (hoc enim significat mane) si sic faciant, iustificandos esse, idest, computanda esse hæc opera ad iustitiam, iustitiam enim quia viuificat, conseruat, perficit, & vnit cum vero lumine, & sole iustitiæ, qui est Deus benedictus, lumen appellauit, has enim proprietates inesse lumini, in quibus tanquam in imagine iustitiam agnoscimus, elegantissime docuit diuinus Dionysius in diuinis nominibus cap. 4. Rursus quia iustitia, vt dixi, efficit vnionem cum Deo, quæ vnio est salus animæ, vt idem Dionysius in ecclesiastica Hierarchia c. 1. annotauit, addidit scriptura, & orietur cito sanitas tua. hanc beatus Petrus appellauit. 1. cap. 1. finem fidei nostræ, vt sanctus Maximus in responsionibus ad Thalassium interpretatus est, cum ait, reportantes nunc finem fidei vestræ, salutem animarum ve-

ſtrarum, quia ſcilicet, vt finis operis corporalis eſt merces ſecundum debitum, ſic fidei, & operum ſpiritualium fidei, finis, ideſt, merces nunc ſecundum gratiam Dei eſt iſta vnio cum Deo, quæ eſt, vt dixi, ſalus animæ, quam efficit iuſtitia fidei. finis vero in futuro erit coeleſtis merces glorioſæ vnionis, & ſalutis. de qua ſequitur, Et gloria domini circundabit te, quodquidem accomodatiſſime appoſitum eſt, quos enim iuſtificauit, hos & glorificauit. Deinde ſubiungit, tunc clamabis, & dominus exaudiet te, tunc inquit, cum hæc facies. Iam ne vident Luterani, queamdmodũ opera pietatis, quæ ſunt fructus ſpiritus, in iuſtitiam computentur à Deo, & non fides tantum? Credebant iſti Deo, vt dixi, & ei fidere ſibi videbantur, alioqui neque ieiunaturi, neque precaturi, tamen erant iniuſti, hanc enim cauſam eſſe, cur eos non exaudiret Deus, idem Deus reſpondit. Ergo neque fides ſola, neque opera legis ſiue corporalia, ſiue carnalia, vt ieiunium non in ſpiritu, ſed in littera, & precari ore, & non mente, & alia huiuſmodi non computabantur in iuſtitiam, non enim (inquit) elegi tale ieiunium, At ſi ieiunium in ſpiritu, quod eſt abſtinere etiã ab omni nequitia, & vitio, & abundare omni opere pietatis, ſi hoc inquam, ieiunium ſpiritu ex fide feceris, præcedet (inquit) ante faciem tuam iuſtitia, quod perinde eſt, quaſi plane diceret, computari ſecundum gratiam tale ieiunium ad iuſtitiam, cuius fructus nouiſſimus ſit gloria, hoc enim erat ieiunium, quod Deus elegit. Rurſus quia docere quidnam ad iuſtitiam valeret coram Deo, permagni referebat, eadem fere repetit, quod ſine vitio tautologiæ non raro ad vtilitatem noſtram facere ſolet ſcriptura, ſicut nos Apoſtolus ſuo exemplo admonuit, cũ ad Philippeñ. iterum de eiſdem ſcribens, mihi (inquit) ſcribere eadem non pigrum, vobis autem neceſſarium. Itaque (inquit) ſi abſtuleris à te colligationes, auaritiam omnem ſignificat, & ſi deſieris extendere manum ſcilicet ad munera, ſic enim beatus Cyrillus in cõment. Eſaiæ interpretatur in eo loco χειροτονίαν, tametſi, vt hoc obiter obſeruemus, magis fortaſſe probetur, vt ordinationem ſignificet, ita vt prohibeatur, ne ordinatio ſacra, & ſpiritualis ematur, vendaturue, quod fieri ſolere ex 3. Reg. cap. 13. intelligi poteſt, cũ ait, & quicunque volebat, implebat manum ſuam, & fiebat ſacerdos excelſorum. ex hoc itaque Eſaiæ loco ſumpſiſſe videtur beatus Petrus vinculum illud, ſiue colligationem iniquitatis, quam dixit in ordinatione, quam emere volebat Simon. Sequitur, & ſi abſtuleris verbum murmurationis. Quia vero non ſatis eſt, vt ſupra aiebam,

declinare à malo, sed oportet facere bonum, rursus subiungit, & si dederis esurienti panem ex anima tua : & animam afflicti saturaueris, tunc (inquit) orietur in tenebris lumen tuum, idest, ex iniusto fies iustus, & erit Deus tuus tecum, amicus inquam Dei eris, cum eo vnitus, & copulatus, sicut scriptura, postquā credidit Abraam Deo, & reputatum est ei ad iustitiam, appropinquasse illum Deo dicit, vt Philon quoque Iudæus in libro de migratione Abraæ obseruauit. quod beatus Iacobus interpretans, amicum Dei appellatū esse ait. sed hactenus de ieiunio spirituali, quod fide cooperāte, in iustitiam computatur. Docet similiter paulo post de spirituali agitatione sabbati Mosaici, quæ in eo consistebat, vt sicut Deus septimo die requieuisset ab operibus suis, sic illi ab operibus propriis, idest, à voluntatibus carnis requiescerent, hoc enim significat auertere pedem à sabbatis, vt non facias voluntates tuas in die sancta, & vt in eo die non ad luxuriam, & ad voluptates ab operibus vacarent, sed potius ad voluptates, & delitias in Deo capiendas, hoc enim significat vocare sabbatum delicatum, & sanctum, item vt abstinerent ab omni ira, etiam sermonis, tum in eo, vt fiduciam totam non in diuitiis, quæ operando parari solent, sed in Deo collocarent. hoc enim significat, & eris confidens in dominum. Deinde declarans huius sabbatismi spiritualis mercedem, subiungit & eleuabo te super bona terræ, vt enim paulo supra ieiunium spirituale computabat Deus in iustitiam secundum gratiam, & non secundum debitum, sic hic spiritualiter agitanti sabbatum computat mercedem futuram coelestis terræ, idest, regni coelorum, vt intelligamus hanc esse nouissimam mercedem, quæ etiam est propria iustitiæ. Sub lege ergo Moisis ex operibus quidem legis spiritualibus iustificabatur homo, vt ostendimus, non autem ex operibus legis, quasi ex operibus legis, quæ non erāt ex fide, quæ propria erāt Iudæorum, quibus solis lex propter transgressiones, sicut Apostolus ait, posita erat, quod quidem paulo infra interpretans idem Apostolus subiungit, prius autem quàm veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi timore scilicet peccandi, & transgrediendi, sic enim interpretatur Clemens Alexandrinus in primo Stromateo. Et in epistola ad Heb. c. 2. Christum ait Apostolus carnem sumpsisse, vt liberaret eos, qui timore mortis scilicet ex trangressione, per totam vitam obnoxii erant seruituti. Iudæi enim sub lege tot, ac tam multiplicium operum, quæ poenis sancita erant, tanquam sub pædagogo instar pueri metu peccandi continebatur, ne voluntates

ſuas faceret, vt vel ſic de operibus legis ſpiritualiter munere Dei perficiendis admoneretur, ſecundum enim carnem, & non ſecundum ſpiritum facta ad iuſtitiam non computabantur, neque ſub lege, nec ante legem, vt in Abraam docuit Paulus, neque nunc ſub euangelio, quia vt ſecundum carnem fiunt, nō ſunt ex fide, ac proinde non iuſtificatur homo ex eis, iuſtus enim ex fide viuit, ſicut neque iuſtificatur nunc homo ex operibus corporalibus, quaſi operibus corporalibus, hæc enim æſtimat Deus, vt ait Marcus Anachoreta in lib. de lege ſpirituali, κατὰ τὰς προθέσεις, ideſt ſecundum propoſitum animi. Exercitatio (inquit Apoſtolus) corporalis ad modicum vtilis eſt, exercitationem corporalem vocat, qua corpus in honorem Dei ad humiliationem animæ vtiliter caſtigatur, & in ſeruitutem redigitur, vt ieiunare, vigilare, cubare humi, miniſtrare, laborare manibus, ne aliis ſimus graues, & vt ſuppetat ad dandum, & aliæ huiuſmodi σκληραγωγίαι, quas ſanctus Maximus in 2. Hecaton. 57. dicit eſſe virtutes corporales ὑπὸ ἀνάγκην, ideſt, neceſſitati ſubiectas, ita vt qui eas non poſſit exercere, veniam habeat, contra vero non habeat, qui virtutes alias, quas vocat ψυχικὰς non exerceat, quia non ſint neceſſitati ſubiectæ. Abſque huiuſmodi ergo corporalibus virtutibus, quæ neque ſemper, nec ab omnibus, nec vbique exerceri poſſunt, neque cum exercentur, ſemper bono animo exercentur, iuſtificatur homo coram Deo, nunqd enim Deus ieiunantium eſt, & humi cubantium, & non etiam non ieiunantium? Exercitatio ergo corporalis, ait ſanctus Nilus in lib. περὶ προστασίας, ad modicū vtilis eſt, ſimilis diſciplinis puerilibus, corporis enim motus moderatur, & temperat, vt athletæ rudes & nouitii corpus exercere, & membra aſſidue mouere incipiunt, tamen animi motus non reprimit, quod quidem facit pietas. hæc.n. cum mentem ad Deum, & diuina conuertat, & applicet, facit, ne ſe mens ad paſſiones, & terrena reuocet, quod quidem exercitatio corporalis non poteſt præſtare. Vt enim idem auctor tradit in explanatione illius loci, qui habet pallium, vendat, & emat gladium, labor τῆς σκληραγωγίας, ideſt, duræ exercitationis, defatigato corpore, tempus fortaſſe dat paſſionibus, vt mentem vacuam excitent ad ea, in quæ feruntur paſſiones, at contemplatio, ac conuerſio in Deum totam mentem occupat, & detinet non cedens non ſolum paſſionibus, ſed neque fortaſſe cogitationi vocanti ad neceſſarium vſum. vincit enim (inquit) non ſolum voluptatem ἐμπαθῆ, ideſt, prauam, ſed naturalem quoque neceſſitatem, quod intuens Paulus

exercitatio(inquit)corporalis ad modicum vtilis eſt,pietas autem ad omnia valet.Quam ſolet alias ſcriptura appellare ſapientiam,appellat hic εὐσέβειαν ideſt,pietatem,quæ eſt exercitatio ſpiritualis,ſolet autem appellare ſapientiam ſtudiũ operandi mandata Dei propter religionem,& cultum ipſius Dei,ſicut ſcriptum eſt in Eccleſ.c.1.ſi cupis ſapientiam, ſerua mandata. Hanc ſapientiam appellauit εὐσέβειαν Salom.c.10.loquens enim de Iacob,ſapientia(inquit)hos qui ſe obſeruabant, à doloribus liberauit, hæc autem profugum iræ fratris iuſtum deduxit per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei, & dedit illi ſcientiam ſanctorum, multiplicauit illam in laboribus, & ditauit labores illius,in fraude circumuenientium eum affuit illi, & diuitem fecit illum, cuſtodiuit illum ab inimicis, & à ſeductoribus tutauit illum, & certamen forte dedit illi, vt vinceret, & ſciret, quia omnium potentior eſt εὐσέβεια,ideſt, pietas, quam paulo ante vocauerat ſapientiã,vocauit nunc εὐσέβειαν,ideſt,pietatem.Et ſubiungit,hęc venditum iuſtum, (Ioſeph dicit)nõ dereliquit,ſed à peccato liberauit, & quæ ſequuntur. εὐσέβεια ergo, ideſt, pietas in faciendis mandatis Dei, & declinandis peccatis propter Dei religionem conſiſtit,ſicut ſcriptum eſt Iob c.28. εὐσέβεια(inquit)ideſt,pietas,ſapientia eſt,& abſtinere à peccatis ſcientia. De hac igitur ſapientia operandi mandata, & declinandi à peccatis propter religionem Dei,loquitur Apoſtolus cum ait, pietas autem ad omnia valet,valet enim in Chriſto ad iuſtitiam hominis, ac proinde ad vitã beatã, vt ſtatim ſubiungit inquiens promiſſionẽ habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ, iuſtus enim ex fide, ſiue ex pietate viuit.Reſpõdeant ergo iſti,quid aliud erit exercere ſe ad pietatem,quod Paulus præcipit,niſi facere opera pietatis? hæc autem cum promiſſionem habeant vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ, plane ſequitur, vt nunc ex operibus pietatis ſecundum gratiam promiſſionis iuſtificetur homo, & poſtea glorificetur, quod enim habet promiſſionem vitæ, quæ nunc eſt,ex hoc homo iuſtificatur, iuſtus enim ex fide viuit,at opera pietatis huiuſmodi promiſſionem habent,ex illis ergo iuſtificatur homo.An dicent hoc loco εὐσέβειαν ideſt,pietatem,ſiue cultũ Dei eſſe fidem tantũ?minime,etenim ſi fides tm̃ eſt, quomodo ad omnia valet,habens promiſſionẽ vitæ,quæ nunc eſt, & futuræ? An promittit dominus vitam,quæ nunc eſt,& futuram propter fidem tantum,& non etiam propter opera, cum ſcriptum ſit,quia tu reddes vnicuique iuxta opera ſua? non enim dixit iuxta fidem ſuã tantum, ſed cuique iuxta opera ſua, nempe fidei, & pietatis, cetera

enim nihil valent ad ſalutem, ꝙ ſi promittit dominus reddere vni-
cuiq; iuxta opera ſua, habent ergo opera promiſſionem, bona qui-
dem promiſſionem vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ, mala vero mor-
tis. Ergo pietas promiſſionem habens, vt Apoſt. ait, vitæ, quæ nunc
eſt, & futuræ, eſt exercitatio operum ſpiritualium ex fide. Hacte-
nus de operibus legis grauioribus, quæ euangelii quoque opera
ſunt, quæ ad iudicium, miſericordiam, & fidem referuntur, ideſt ad
bonam conſcientiam, & charitatem, de quibus operibus dominus
dixit, quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite il-
lis, hæc lex, & prophetæ, ideſt, in his conſiſtit plenitudo legis, & ſic
ſancti prophetæ vixerunt, & viuendum eſſe docuerunt, deinde ſub
iungit, intrate per anguſtam portam, docens hanc eſſe viam, vt ſta-
tim dicit, quæ duceret ad vitam, quare iuſtificant nunc hæc opera,
vt tempore etiam legis, & prophetarum iuſtificabant, vita enim fru
ctus eſt iuſtitiæ, iuſtificant inquam, ſi tamen non fiant, vt diximus,
quaſi opera legis, ſed ex fide, ac dilectione, vt idem dominus docuit,
& præcepit in euangelio Lucæ, idcirco enim poſtquam dixit, pro
vt vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter, multa
ſubiunxit de dilectione, & de benefaciēdo ex dilectione. huiuſmo
di opera legis ſcripta in cordibus, quę ad decalogi fontes reuocan-
tur, vocauit beatus Iacobus λόγον ἔμφυτον, ideſt, inſitum verbum,
quod poteſt (inquit) ſaluare animas veſtras, poteſt ergo iuſtificare,
ſalus.n. animæ, vt dixi, fructus eſt iuſtitiæ. Sed poſtquam ſatis iam,
vt exiſtimo, explicatum eſt, quomodo Abraam ex fide iuſtificatus
ſit, & non ex operibus legis, & quæ ſint accipienda opera legis, &
quomodo rurſus, & quando ex eis iuſtificari poſſimus, ſi placet, de
reliquis exemplis fidei, quæ Paulus Apoſtolus in epiſtola ad Heb.
c. 11. ſapientiſſime laudauit, breui diſſeramus.

Videamus ergo primum, à principio capitis repetentes, de diffi-
nitione fidei, quam idem Apoſtolus docuit, & multis exemplis in-
ſtruxit, ac patefecit, vtrum ea ſit fides tantum ſine, & ante opera, vt
iſti noui magiſtri loquuntur an fides per dilectionem in actione
poſita, & ex operibus viuens, ac proinde viuificans, & iuſtificans.
Eſt ergo (inquit) fides ſuſtantia, ſiue hypoſtaſis rerum ſperandarum
argumentū non apparentium. hypoſtaſim interpretatus eſt Dion.
Areop. in diuinis nomi. c. 7. ἵδρυσιν, ideſt, firmamentum, ait enim
fidem eſſe eorum, quæ creduntur, ſtabile firmamentum, quod cre-
dentes firmat veritate. Quæ vero firmamenti ratio inſit in fide, do-
cet idem Apoſtolus Ephes. 3. per fidem (inquit) in charitate radi-
cati, &

cati, & fundati, quasi charitas sit robur fidei, cui superædificatur tanquam primo fundamento ipsa charitas, vnde facile charitate amissa, fides amittitur, sicut Apostolus ait, habens fidem, & bonam conscientiam, quã quidam repellentes circa fidem naufragauerunt, bona enim conscientia non potest separata esse à charitate. Conuenit cum his, quod est in epistola ad Coloss. c. 2. radicati (inquit) & superædificati, & confirmati fide, ea scilicet, quæ per charitatem ἐνεργεῖται, idest, in actione versatur, charitas enim, vt dixi, superædificata fidei tanquam fundamento primo, illud ipsum primum fundamentum firmat, & roborat. hinc illud, quis nos separabit à charitate Dei? scilicet tanquam radicatos, & fundatos in ea per fidem, quod perinde est, quasi loqueretur fundamentum, & diceret, quis me separabit à superædificatione, quæ stabilit, & firmat fundamentum? vt fundamentum rursus firmat charitatem superædificatam, sunt enim quędam sibi inuicem causæ, ait Clemens Alexand. in 8. Stro. de causis, vt lapides in fornice, & virtutes in connexione. Charitate itaque firmamur per fidem, & fide per charitatem. Fides igitur, quã Apostolus diffinit, charitatem habet superædificatam, quæ eam firmat, & facit, vt sit hypostasis, idest, firma συγκατάθεσις, stabilisque assensio rerum, quæ sperantur, sperantur autem, quæ nõ videntur, & rursus quæ non videntur, quasi videntur per fidem], idcirco additũ est argumentum, siue probatio non apparentium, idest, eorũ quæ non videntur, siue præterita sint, siue futura, fide enim (inquit) intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent, idest fide intelligimus in principio omnia facta esse à Deo, cum non essent prius, sæcula enim significant aliquando τὰ ἀρχαιότατα, idest, antiquissima, vt magnus Dionysius in diui. nomi. annotauit. Sequitur, vt ex inuisibilibus visibilia fierent, idest, sic fecit omnia, vt cum tenebræ essent super faciem abyssi, nihilque videretur eorum, quæ fecisset, lumen crearet, quo omnia videri possent. meminit autem opportune luminis de fide loquens, quoniam Deus, vt idem Paulus 2. Corinth. 4. ait, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in faciem Christi Iesu, idest, qui à principio creauit lucem sensibilem solo verbo, idem creauit lucem spiritualem in cordibus credentium, ipse inquam illuminauit nos cognitione glorię mysteriorum Dei per Christum. Similiter Eccl. c. 24. qui emittit, (inquit) disciplinam tanquam lucem, & paulo post à mari enim abundauit cogitatio eius, & consilium illius ab abysso magna, quia

scilicet factis coelo, & terra, cum tenebrae essent super faciem abyssi, spiritus sapientiae, & consilii domini ferebatur super aquas, scilicet prouidens depulsionem tenebrarum & lucis creationem, quae quidem sapiētia, cuius spiritus ferebatur super aquas, dixit βουλευτικῶς ac veluti consilium capiens, fiat lux, & facta est lux, hoc enim significat, consilium eius coepisse ab abysso magna, & paulo post doctrinam (inquit) quasi mane illuminando, significat, sicut depulsis tenebris, quae erant super faciem abyssi, & creata luce, omnia sunt ex inuisibilibus visibilia facta, sic diuinae disciplinae lumen, quae est fides Dei, instar lucis matutinae emittendum esse, ita vt sicut matutinum lumen magis ac magis augetur, donec totum existat, sic lumē fidei paulatim, magis, ac magis se effundi. significabat etiam, vt lumen remota illuminat, sic procul remota, idest, longe post futura per lumen fidei prophetice ostendenda fuisse. Vnde subiunxit, Adhuc doctrinam tāquam prophetiam effundam. Sed pergamus ad ea, quae sequuntur, fide (inquit) plurimam hostiam Abel, quàm Cain obtulit Deo, per quam testimonium cōsecutus est esse iustus, testimonium perhibente muneribus eius Deo. Cū Abel vere crederet Deo, quòd esset, quamuis eum non videret, & in charitate per fidem radicatus, ac fundatus speraret remunerationem eius, sane postulabat haec fides vt Deum inquireret, & ei seruiret, quare obediēs fidei obtulit ei oblationem in obsequium seruitutis suae. sacrificauit enim Deo optimis, & electissimis victimis, & reputata sunt ei ad iustitiam fides, & munera. quod enim ait scriptura Gene. respexit Deus ad Abel, & ad munera eius, significat iustificatum fuisse Abel non ex fide tantum, sed ex opere oblationis. Idem docuit Iacobus frater domini in iustificatione Abrae, non ex fide tantum, sed ex opere iustificatum fuisse. Quod ergo scriptura Gene. dixit de Abele, Paulus interpretatus est, cum ait fide plurimam hostiam Abel quàm Cain obtulit Deo, per quam scilicet fidem testimoniū consecutus est esse iustus. hoc enim est testimonium sciptur[a]e de Abel, respexit Deus ad; Abel, deinde subiungit Apostolus testimonium perhibente Deo muneribus eius, hoc rursus est testimonium de muneribus & respexit ad munera eius. testimonium inquam perhibente, quòd esset iustus, scilicet ex oblatione munerum, sicut prius dixit testimonium consecutus est esse iustus ex fide, repetendum enim est illud, iustus, esse ἀπὸ κοινοῦ quae est, vt saepe dixi, frequentissima figura in scripturis sanctis. Vt iam plane doceat Apostolus Abel non ex fide tantum iustificatum esse, sed ex fide, atque

oblatione muneris, quod quidem non propter Abel tantum scriptum est, sed propter nos, vt intelligamus ad nos similiter ex fide, & ad munera simul, atque oblationes nostras respicere Deum, ita vt iuxta testimonium scripturæ de Abel ex fide, & ex muneribus iustitiam consecuto, nos quoque non ex fide tantum iustificemur, sed ex muneribus, atque oblationibus Deo placentibus, hostiisq; spiritualibus, quæ sunt pietas, & omne genus virtutum spiritualiũ, quæ omnia ad cultum, siue obsequium rationale, vt Apostolus vocat, pertinent. Sequitur, Per hanc adhuc defunctus loquitur. hoc est, quod dominus in Gene. testatur, inquiens, sanguis fratris tui clamat ad me de terra. Quis autem clamor esset iste, intelligi potest ex eo, quod vidit Ioannes in Apocalyp. animas interfectorum subter altare clamantes voce magna, atque dicentes, Vsquequo domine sanctus, & verus non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra? Habebat ergo Abel adhuc post mortem fidem remunerationis, & iudicii æterni, non dico fidem tantum, quid enim placeat Deo credere tantum, quòd Deus remunerator sit, & iudex, quod vel dæmones credunt? sed fidem habebat dilectione agitatam, & in opere orationis positam. ex fide enim Dei, simul & dilectione petebat a Deo, & orabat adhuc in inferno, vt iudicium faceret, & vnicuique redderet secundũ operà sua, sicq; nomen domini clarificaretur, vt eos inquam, qui digni sunt, remuneraret, eorum vero, qui Deo repugnant, impietatem in consumatione sæculi funditus de medio tolleret. qui locus satis declarat, vt hoc etiam obiter notemus, non carere energiis, siue operationibus animas defunctorum, vt etiam Eustrathius presbyter Constantinop. aduersus eorum, qui contra sentiebant, opinionem obseruauit. Ergo cum ait Apostolus per hanc fidem adhuc defunctus loquitur Abel, perinde est hoc, quasi diceret, hanc fidem adhuc defunctus in oratione operabatur, illud ex fide orans, quod dixi, & ex fide ista operata Deo placens. est enim hoc, vt cetera, quæ hic Apostolus commemorat, exemplum fidei Deo placentis. Itaque docuit Apost. ne post hanc quidem vitam fidem tantum Deo vnquã placuisse. Sequitur, Fide Henoc translatus est, ne videret mortem, & non inueniebatur, quia transtulit illũ dominus. Ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo testimonium autem, quod habuit illud est, quod scriptura Genes. testatur inquiens, Ambulauitq; cum Deo, & non apparuit. ambulasse autem cum Deo, non significat fidem tantum habuisse,

ſed ex fide operatum eſſe Dei mandata, in quibus, tanquam in viis domini, qui ambulat, is dicitur Deo placere. Si igitur ambulaſſe cũ Deo teſtimonium eſt placuiſſe Deo, vt Paulus interpretatus eſt, ambulare autem cum Deo, non eſt credere tantum, ſed fidem ſimul in viis domini, ideſt, in mãdatis eius operari per dilectionem, quæ mouendi vim habet, vt magnus Diony. tradit. Ergo non ex fide tantũ, ſed ex operibus placemus Deo, vnde autem Deo placere poſſumus, & fieri amici Dei, inde iuſtificamur. Per fidem ergo in viis mãdatorum Dei, in quibus Enoch ambulauit, operatam, idem iuſtificatus fuit, & meruit transferri, ne videret mortem, quod quidem ſimiliter non propter illum tantum ſcriptum eſt, ſed propter nos, qui ſi ambulauerimus cum Deo, fidem per dilectionem operantes (nõ enim ambulant cum Deo, qui non mouentur dilectione) teſtimonium ſpiritus ſancti conſequemur, ꝙ Deo placeamus, ideſt, ꝙ ſimus iuſti, & per fidem dilectione operatã à morte ad vitã tranſlati, iuſtus. n. ex fide viuit. iuſtoꝝ itaqꝫ huius vitæ parabola, & exemplũ fuit illa Enoch tranſlatio, ne videret mortem. Quomodo ergo Luterani arbitrantur, iuſtificari ſe, & placere Deo poſſe, antequam ambulent cum Deo? ideſt, antequam ambulent ſecundum ſpiritum fidem per dilectionem operantes? hoc enim ſignificat ambulare cũ Deo, quod Apoſtolus dixit in epiſtola ad Romanos, ambulare ſecundum ſpiritum, contrarium eius quod eſt, ambulare ſecundum carnem, Sequitur, Fide Noe reſponſo accepto de iis, quæ adhuc non videbantur, metuens aptauit arcam in ſalutem domus ſuæ. quia enim credidit Deo dicenti, finis vniuerſæ carnis venit coram me, repleta eſt terra iniquitate à facie eorum, & ego diſperdam eos cum terra, fac tibi arcam, & c. Et paulo poſt, ecce ego adducam aquas diluuii ſuper terram, & interficiam omnem carnem, &c. quia inquam credidit his, quæ Deus prædicebat, & obediens huic fidei fabricauit arcam in ſalutem domus ſuæ. & ſicut ſcriptura Gene. ait, fecit omnia, quæ mandauerat ei dominus, idcirco ex fide iſta, quæ per dilectionem in iis, quæ mandauerat Deus, agitata fuit, iuſtificatus eſt Noe, & cum domo ſua incolumis ſeruari meruit, ne periret cum iis, qui vt ait beatus Petrus 1. c. 3. fuerant aliquando increduli, quando expectabant Dei patientiam, teſtimonium perhibente domino, cum ait, ingredere tu, & omnis domus tua in arcam, te enim vidi iuſtum coram me in generatione hac. Quæ etiam non propter Noe tantum ſcripta ſunt, ſed propter nos, qui, vt Noe, fidem in fabricatione arcæ, & in ceteris, quæ Deus ei præceperat, operatus iu

ſtitiæ hæres factus eſt, ſic nos fidem in haptiſmo ſimilis formæ, vt beatus Petrus ait, ideſt, cuius typus arca illa erat, & in ceteris mandatis operantes, iuſti, & ſalui efficimur. Iam ne vident iſti, quemadmodum Noe non ex fide tantum, ſed ex operibus iuſtificatus ſit? fide enim (inquit) ſcilicet per dilectionem operata aptauit arcam, & ſic iuſtitiæ hæres inſtitutus eſt. Quid enim profuiſſet credere tãtum, quod Deus prædicebat eſſe omnes per diluuium interituros, niſi obediens huic fidei arcam, & cetera, quæ Deus iubebat ad ſuã & domus ſuæ ſalutem, incolumitatemq́ꝫ faceret? Præterea fidei (inquit) qui vocatur Abram, obediuit exire in locũ, quem accepturus erat in hæreditatem tunc quoq́ꝫ promiſit dominus benedictionem Abraæ, ſi egrederetur de terra ſua, & de cognatione ſua, credidit itaque Abram promiſſioni, & obediens huic fidei, ideſt, operans fidem huius promiſſionis egreſſus eſt, ſicut præceperat dominus, relicto idolorum cultu, vt Dydimus in libro contra Manichæos ait. An promiſit hic dominus benedictionem Abraæ credenti tantum, an credenti, & operanti? certe credenti, & operanti, Egredere enim ait, de terra tua, & benedicam tibi, hæc eſt prima fides, qua Abram placuit Deo. Sic cogitandum eſt dici cuique nòſtrum, cum in peccatis ſumus, non quidem crede tantum Chriſti paſſioni, & cõ fide ei, ſed etiam recede à voluntatibus carnis tuæ, & ſenſus tui, & veni in terram, quam monſtrauero tibi, ideſt, ambula in viis mandatorum, quæ tibi oſtendam, & tunc benedicam tibi, &c. Nõ ergo fides tantum computata eſt Abraæ ad benedictionem ſpiritualem, ſed fides ſimul, & obedientia fidei, ideſt, opus egrediendi ex fide, ſic enim ait Apoſtolus fidei obediuit exire in locum, &c. Similiter fide (inquit) demoratus eſt in terra repromiſſionis tanquam in aliena, hæc quoque fides Abraæ non fides tantum, ψιλὴ erat, ſed fides per dilectionem operata, ideſt, fides ſimul cum opere, quod enim crederet aliam eſſe terram coeleſtem, ex opere oſtendebat, nempe habitando tanquam in aliena terra. Quid enim valeret ei, ſi crederet tantum, eſſe aliam patriam meliorem, neque tamen eam fidem de meliore, hoc eſt, coeleſti patria operaretur, ſiue ex opere oſtenderet gerendo ſe pro peregrino, & hoſpite tanquam in aliena terra? hoc enim fides poſtulabat, imo omnes iſti, quos diximus, defuncti, (inquit) ſunt ſecundum fidem, ideſt, non credentes tantum, ſed opere oſtendentes, eſſe patriam aliam meliorem, ideſt, coeleſtem, Laudat deinde Paulus fidem Saræ. Fide (inquit) & ipſa Sara virtutem accepit in conceptionem ſeminis, cum filium Saræ promitteret

Deus ſterili, ætate exacta, cui iam muliebria fieri deſiiſſent, & cuius
vir valde etiam ſenex eſſet, denique cui nullam ſpem partus natu-
ræ vis ex vlla parte oſtenderet, riſit Sara, ꝙ incredibile ſibi videre-
tur, dixitq; occulte, ſiue(vt eſt apud Septuaginta)intra ſe, poſtquã
conſenui, & dominus meus vetulus eſt, voluptati operam dabo?
ſignificans neque ſe credere, quod promittebatur, neque propoſi-
tum ſibi eſſe rem cum viro ſuo habere, vt cui nulla eſſet tum pro-
pter ætatem, tum propter ſterilitatem ſpes conceptus, hoc enim
ſignificat, quod eſt apud Septuaginta à Sara tacite dictum, nõ qui-
dem accidit mihi vnquã ante hac, & illud, num paritura ſum anus?
quæ perinde erant, quaſi diceret, an quæ hactenus non peperi ma-
tura ætate, deinceps pariam anus? at dominus, vt crederet Sara poſſe
ſe fieri, quod idem promitteret, imo quicquid vellet, idcirco quod
illa animo cogitabat, & ſecum tacita loquebatur, aperuit, ex quo
factum eſt, vt metu perterrita, ſicut ait ſcriptura, crederet Sara pro-
mittenti conceptum, & partum, quæ quidem fides vana fuiſſet, ni-
hilq; valeret, niſi illam operata eſſet accedendo ad virum cum Dei
timore. Acceſſit ergo non conſiderans amplius vuluã ſuam emor
tuam, & per hanc fidem ex dilectione, ac Dei timore operatã pla-
cuit Deo, meruitq; virtutem accipere concipiendi. Quæ rurſus
non propter Saram tantum ſcripta ſunt, ſed propter nos, qui non
credendo tantum, ſed fidem, quæ Dei donum eſt, operando, vir-
tutem a Deo accipimus, vt ſemẽ Dei maneat in nobis tanquam ex
Deo natis, qui prius eramus ſteriles. vt enim concupiſcentia cum
conceperit ex carne, peccatum parit, vt ait Iacobus, & peccatum
cum conſumatum fuerit, parit mortem, ſic voluntas ſpiritus, & in-
terioris hominis cum conceperit ex ſpiritu Dei, parit opus Dei, ac
fructum ſpiritus, qui quidem cum conſumatus, & perfectus fue-
rit, parit vitam, ideſt, iuſtitiam, cuius fructus proprius eſt vita, quæ
nunc eſt, & quæ futura, ſic efficimur ſemen Abraæ ſecundũ Iſaac,
ſemen inquam ſanctum, ac benedictum, ac filii Dei, ſiue filii promiſ
ſionis, Iſaac enim exemplum, & parabola fuit filiorum Abraæ ſe-
cundum ſpiritum, vt Apoſtolus interpretatus eſt, vt enim Iſaac fi-
lius fuit non quidem naturæ, quæ neq; primum quidem generare
illum potuit, vtpote ſterilis, & effoeta, neque iam mortuum ſecun-
dum propoſitum immolationis, in vitam reſtituere, ſed Dei, qui
promiſſiones fecerat, & corpori Abraæ iam emortuo, & vuluæ Sa
ræ iam emortuæ virtutem dedit, ſic qui per Dei gratiam credit, &
fidem Dei donum in mandatis Dei operatur, vt Abraam, & vxor

eius Sara, huic dat potestatem Deus, vt filius Dei efficiatur, & filius promissionis. Respondeant ergo vobis Luterani, quomodo existimant se per fidem ūtant posse iustificari, si vt Paulus tradit, Isaac nō secundum carnem natus, vt Ismael, parabola fuit eorum, qui nati sunt secundum spiritum? An credendo tantum, & non fidem in mandatis Dei operando factus est Abraam pater Isaac? aut Sara virtutem accepit in conceptionem seminis? Quòd si isti opera Abraæ non faciunt, profecto neque filii eius sunt secundum spiritū, ac proinde neque filii Saræ, idest, filii liberæ, qua libertate Christus nos liberauit. adhuc ergo manent in peccatis mortui cum ista fide mortua. Sed pergamus ad alia exempla fidei per dilectionem operatæ. Fide (inquit) de futuris benedixit Isaac Iacob, & Esau. neque hæc fides fides tantum fuit, vt est istorum fides, sed potius per dilectionē operata, qualis nostra esse debet, vt in Christo, sicut Apost. ait, valeat. Per fidem ergo quæ facit apparere inuisibilia, benedixit, tanq̄ videret Isaac eos, qui Christi sunt, odore virtutū & charismatū præditos, qui student voluntatem Christi facere, qui est cibus patris coelestis (hoc enim significabat in ænigmate afferri patri cibos de venatione) qui quidem leuibus, & parui momenti laboribus emunt primogenituram in coelis conscriptam, quam reprobi parua rursus voluptate carnis commutant. Vt igitur non satis fuit Isaac, credidisse tantum, sed credidisse, & fidem benedicendo operatum esse, neq; enim dixit, fidem tantum habuit de futuris, vel fide tantum apprehendit futura, sed fide de futuris benedixit Iacob, & Esau, sic non satis est fide tantum apprehendere Christi pro nobis passionem, sed p fidem cū Christo compati oportet, vt conregnemus, similiter fide confiteri, fide ieiunare, fide orare, & benedicere oportet, idest, fidem in confessione operari, in ieiunio, in oratione, in benedictione, & in ceteris mandatis. Similiter Iacob moriens singulos filiorum Ioseph benedixit, tanquam per fidem videret in Ephren, & Manasse filiis Ioseph ex alienigena susceptis filios Ecclesiæ gentium, quos Christus, cuius typus erat Iacob, inter primogenitos haberi, & numerari voluit benedicendo, vt erant primogeniti Ruben, & Simeon, sicut scriptum est, erunt nouissimi primi. Rursus tanquam videret idem Iacob in Ephren filio Ioseph reges Israel, qui ex eo profecti sunt, & quos decem tribus adoraturæ erant, adorauit in summum virgæ, quam tenebat Ioseph, idest, summum fastigium, ac principatum regalis potestatis ad moderandum & regendum populum profectæ ex Ephren Ioseph filio tanquā

ex virga de radice eius orta. Itaque neque hæc fides Iacob, quam Apost. cõmendat, et ad imitandũ proponit, fides tantũ fuit, sed fides p dilectionẽ Dei, cui credebat, opata in benedictione illa, atq; adoratione Sequit̃ fide Ioseph moriens de profectione filiorũ Israel memoratus est, & de ossibus suis mandauit. rursus nec hæc fides ab Apostolo laudata, fides tantum fuit, sed fides per dilectionem Dei, tum in eo, quod fidẽter locutus est, inquiens dominus visitabit vos, & ascendere vos faciet de terra ista ad terram, quam iurauit Abraę, Isaac, Iacob, tum in commendatione asportationis suorum ossium operata. Laudat præterea Apostolus fidem, quam parentes Moisis infantis pulcherrimi habuerunt, ꝙ Deus esset illum seruaturus, quę quidem non fuit fides tantum, sed per Dei etiam dilectionem, cui confidebant, in occultando eum mensibus tribus, & in non timendo regis edictum operata, etenim si non occultassent eum, profecto non iam fides, sed præsumpsio, neque dilectio Dei, sed tentatio fuisset. denique sine hoc opere, quod illa fides postulabat, vana illa quidem & mortua fuisset. Ad hæc laudat Apostolus fidem Moisis, quã habebat iam grandis factus de remuneratione Dei futura, quę quidem non erat fides tantum, alioqui vana fuisset, sed fides per dilectionem Dei operata in contemnendis voluptatibus, & delitiis, quibus affluebat in domo Pharaonis, & in sustinendis miseriis, & afflictionibus cum populo Dei, ac viuendo secundum Christi passiones, & improperia, ac contumelias. Sancti enim prophetæ, vt beatus Ignatius ait, secundum Christum vixerunt. huiusmodi ergo debet esse fides nostra, vt laudem apud Deum mereatur, & non, vt Luterani tradunt, & viuunt, Christum fide tãtum apprehendentes, non autem imitantes. Laudat simul fidem Moisis de Dei præsidio, quam habuit, cum Aegyptium percutientem quendam de fratribus suis occidit, & abscondit sub sabulo. quæ quidem non fuit fides tantum, sed fides per dilectionẽ Dei, & proximi operata & in cede illius Aegyptii Hebræum percutientis, & in recessu ad proxima, ac vicina loca terræ Madian, vt qui non multum metueret regem. Sic quoque nostra fides laudabilis fuerit, si eam operemur in peccatis per poenitentiam, & confessionem occidendis, & in recedendo ab Aegypto spirituali, omnia enim vt Apostolus ait, in figura contingebant illis. Præterea Moises, qui eorũ omnium, quæ in lege typice fiebant, anagogem spiritualem à Deo didicerat, quia fidem habuit sanguinis Christi, qui per spiritum sanctum semetipsum oblaturus erat, vt emundaret conscientias nostras ab operibus

mortuis ad seruiendum Deo viuenti, & in memoriale perpetuum mortis suæ, & redemptionis per sanguinem crucis factæ, carnem suam ad edendum, & sanguinem suum ad bibendum daturus, vt hoc cibo, & potu cresceremus in salutem, si tamen gustaremus, q̄ suauis,& bonus dominus, idcirco hanc fidem commendat Apost. non quidem solam, & nudam, qua mysterium istud Christi iam tunc futurum, tantum apprehenderent, quod isti noui magistri satis esse, falso,& hæretice docent, sed fidem dilectione in esu agni paschalis, & in vnctione vtriusq; postis domus, & superliminariū iuxta mandatum domini operatam, fide enim(inquit) celebrauit pascha,& sanguinis effusionē. Vt igitur nihil laudis,aut fructus Moisi attulisset fides tantum,qua solum apprehenderet Christum futurum, nisi illam operatus fuisset in celebratione paschæ,quā iusserat Deus, & in toto illo typico apparatu,qui exemplari,& vmbræ cęlestium, vt Apost. ait, seruiebat, sic istorum fides vana est, & inutilis, qua Christum apprehendunt tantum, nisi eam fidem simul in mandatis eius operentur, & nisi pascha nostrum, quod immolatus est Christus, epulentur non in fermēto vetere, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ,sed in azymis sinceritatis, & veritatis,& nisi vt beatus Pet. ait, succincti lumbos mentis,& sobrii,perfecte sperent in eam,quæ nobis offertur, gratiam in reuelatione Iesu Christi, quasi filii obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ desideriis,sed secundum eum,qui vocauit nos,sanctum,vt ipsi in omni conuersatione sancti sint. Vtrumque enim locum intelligendum esse de magnis mysteriis agni mystici, quem quotidie Ecclesia catholica cum filiis suis fide celebrat, collatis scripturis,& magnorum auctorum testimoniis in opere nostro, quod de sancta Eucharistia ex scripturis componimus, clare demonstrabimus. Illud nunc satis est admonere istos, vt non satis fuisset Moisi, si haberet fidem tantum paschæ, idest, transitus domini, quòd transiret, sicut scriptum est, super filios Israel percutiens Aegyptios, & domos Israelitarum liberans,nisi fide pascha celebraret agnum comedens iuxta legem domini, sic non satis est fide tantum apprehendere redemptionem per sanguinem crucis factam, nisi victimam transitus fide celebremus, carnem domini in commemorationem mortis eius donec veniat,digne māducantes, & sanguinem eius bibentes,idest, nisi fidem Christi pro nobis in cruce immolati digne communicādo operemur. Præterea fidem commendat Apost. qua Hebræi crediderunt,id,quod Moises spiritu sancto inspirante,de Deo pro

miserat, cũ dixit, state, & videte magnalia domini, quæ facturus est hodie, Aegyptios.n. quos nunc videtis, nequaq̃ vltra videbitis vsq; in sempiternũ, dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis, quæ quidẽ fides vt perfecta, & cõsumata esset, postulabat, vt diuisa aqua maris rubri, & persequentibus Aegyptiis non dubitarent Hebræi ingredi per medium, quo ingressu consumata est fides ista, quæ hic ab Apostolo commendatur, non itaque fuit fides tantum, sed fides per dilectionem in illo ingressu, & transitu admirabili operata; quem quidem transitum a Deo quidem Moises, à Moise vero primo mystagogo ceteri mystagogi, & ab his populus typum esse sacri baptismatis didicerunt. quo olim populus Dei baptizandus esset, & dæmonibus spoliatis, & ad abyssum detrusis a morte sempiterna liberandus, quod quidem qui credebant, multo magis eos credere oportebat posse Deum Hebræos ab Aegyptiis transitu illo per medium maris liberare. Sed pergamus ad aliud exemplum fidei laudatæ. Fide (inquit) muri Hiericho corruerunt. Hæc quoque fides non fuit fides tantum, sed fuit fides in iis simul per dilectionem operata, quæ dominus, vt muri corruerent, facere iussit de circumeunda vrbe sex diebus, & de arca foederis septimo die cũ clangore tubarum circumducenda, & de illa vniuersæ multitudinis ingenti vociferatione. Quæ opera, & fidem adiuuabant, & fides adiuuabat opera, ita vt fides operibus illis cõsumata fuerit, & sic cõsumata, Hiericho, & regem Hiericho vicerit. quæ quidem fides parabola est nostræ fidei, quæ similiter ex operibus consumata est, alioqui nihil nobis profuerit, si credamus tantum, quòd Iesus Christus dux noster, & sacerdos magnus mundum prototypum Hiericho, & principem eius vicerit, quam nulli ante eum viri fortes vicerint, & q̃ tandem mundi consumatio, cuius typus extitit illa vastatio Hiericho, tunc futura sit, cum elementa, sicut Petrus ait, calore soluentur, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur, sicut ait scriptura, omnia, quæ in Hierico inuenta sunt, succẽderunt præter argentum, aurum, æs, & ferrum, quæ in ærarium domini consecrata sunt, hæc enim symbola erant operum manentium, quæ fidei fundamento superædificantur. Cum igitur omnia dissoluenda sint (inquit Petrus) quales nos esse oportet in sanctis conuersationibus, & pietatibus expectantes, & properantes in aduentum Dei? quod perinde est, quasi diceret, si hæc futura esse creditis, operamini fidem istam secundum Dei mandata in sanctis conuersationibus, & in omni cultu, ac studio virtutum spiritualium,

ſic enim mundū, & quæ in mundo ſunt, vicerimus, ſic muros Hierico, ideſt, munitiones, & conſilia dæmonum, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & aduerſus voces tubarum Apoſtolicarum deſtruemus, propter quod (inquit) chariſſimi, hæc expectantes, ſatagite immaculati, & inuiolati inueniri in pace. hanc pacem ſignificabat in ænigmate illa, qua muri corruerunt, vniuerſæ multitudinis Iſraeliticæ ingens vociferatio, vt idipſum dicamus omnes, & non ſint ſchiſmata non vt Luterani, & Zuingliani, & Bucerani, &c. qui neq; cum Eccleſia catholica idem dicunt, imo nec inter ſe idem loquuntur, & clamant, ſed potius alius aduersus aliū quotidie ſcribunt, quia ſacerdotales buccinas arcam domini præcedentes neglexerunt, ideſt, doctrinam ſanctorum Apoſtolorum, qui iuxta prophetiam Dauid ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificia, ipſi enim quod de noui teſtamenti ſacrificio à domino acceperunt, nobis tradiderunt, ordinarunt, & diſpoſuerunt, quæ impuri hæretici irrident. Tranſeamus ad aliud exemplum fidei. Fide (inquit) Rhaab moeretrix non periit cum incredulis excipiens exploratores cum pace. Nec iſta fides Rhaab fides tantum fuit, qua crederet ψιλῶς Deum Hebræorū Deum eſſe in coelo ſurſum, & in terra deorſum, ſicut ipſa confeſſa eſt, ſed fides Dei per dilectionem eius operata in excipiendis cum pace exploratoribus à Deo miſſis. Quod quidem non propter Rhaab tantum ſcriptum eſt, ſed propter nos, qui hæc aliquando eramus, fornicarii, idolis ſeruientes, adulteri, &c. & idcirco digni, qui cum talibus periſſemus, verum per fidem prædicationis euangelii, & ſanguinis Chriſti in baptiſmo operatam, liberati ſumus a morte, vt Rhaab excipiens exploratores per ſignum funiculi coccinei ſeruata eſt, ne periret cum incredulis, cuius fidem qui non imitantur, ſaluari non poſſunt, quomodo vero imitantur, qui de fide Ieſu Chriſti gloriantur, ſed exploratores eius non recipiunt cum pace? ſunt enim exploratores Epiſcopi catholici, & ceteri paſtores eccleſiarum, ac verbi Dei prædicatores catholici, quos Luterani recipere nolunt. Audierat quidem Rhaab, vt ipſa aiebat, quòd ſiccaſſet Deus aquas maris rubri, & alia mirabilia feciſſet, quarum rerum fidem operata eſt, vt diximus, in excipiendis exploratoribus ex populo Dei miſſis, at iſti auditores tantum ſunt, quàm diu fidem eorum, quæ in euangelio audiunt, non operantur in recipiendis cum pace, & defendendis exploratoribus, ideſt, magiſtris eccleſiarum, & vigilantibus paſtoribus, ac catholicis prædicatoribus. Deinde

laudat Apoſtolus fidem Gedeonis, Bara, Sampſonis, Ieptis, Dauid, Samuelis, & prophetarum. horum vero fidem non fuiſſe fidem tantum, ſed fidem in actione poſitam, tum ex libro Iudicum & regnorum perſpici poteſt, tum ſatis aperte docuit Apoſtolus, cũ ſubiungit per fidem oppugnaſſe regna, operatos eſſe iuſtitiam adeptos eſſe repromiſſiones, vt cum Deus promittebat traditurum ſe hoſtes in manus iſtorum, ſi non infirmati, ſed roborati fide, ſicut de Abraam dicit Apoſtolus, credentes, quòd potens eſſet Deus, facere quæcunque vellet, in prælium forti, & fidenti animo deſcenderent, ſic enim fidem in mandatis Dei per dilectionem eius operabantur, hæc erat iſtorum fides beneplacita, ſicut ait ſcriptura, ſi volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te, & in perpetuum fidem beneplacitam operari, ſcilicet in mandatis, addit deinde per fidem obturaſſe ora leonum, extinxiſſe impetum ignis, effugiſſe aciem gladii, conualuiſſe de infirmitate, fortes factos fuiſſe in bello, caſtra vertiſſe exterorum. Quæ rurſus non propter illos tantum ſcripta ſunt, ſed propter nos etiam, qui niſi ſumamus ſcutum fidei, non quidem apprehendentes Chriſti paſſionem, & mortem fide tantũ, vt Luterani volunt, ſed fidem operantes, & ſecundũ Chriſtũ viuentes, non extinguemus ignea tela nequiſſimi, non proſtrabimus aduerſarium noſtrum, qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, non effugiemus rompheam, nec erimus fortes ad rapiendum regnum coelorum, & iuſtitiam eius, quod dominus dixit vim pati, & à violentis, ideſt, fortibus in bello ſpirituali rapi. Et mulieres (inquit) per fidem acceperunt ex reſurrectione mortuos ſuos, Sareptanam viduam dicit, & Sunamitidem, illa enim credens, quòd potens eſſet Deus facere quæcunque Elias propheta dixiſſet, & ſe, ac filium ſuum à morte reuocare iam fame alioqui perituros, & fidem iſtam operans in eo, quod propheta iuſſerat de faciendo primum Eliæ ſubcineritium panem de farinula, quam ſibi, & filio ſuo ſeruabat, meruit filii ſui reſurrectionem. Item Sunamitis credens ſimiliter, quòd potens eſſet Deus facere quicquid propheta Eliſæus oraſſet, & operans hanc fidem proficiſcendo ad virum Dei, & ab eo filii ſui reſurrectionem petendo, meruit illam. Vtraq; fuit parabola fidei noſtræ, nos enim ex fide per dilectionẽ operata promiſſionem habemus melioris reſurrectionis, ideſt, glorioſæ, ſpe enim, vt idem Apoſtolus ait, ſalui facti ſumus ex fide per dilectionem operata. Idcirco ſubiungit ſtatim Apoſtolus. Alii autem diſtenti ſunt non ſuſcipientes redemptionem, vt meliorem

inuenirent resurrectionem, alii vero ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, &c. idest, alii fidem operati sunt in tormentis, & cruciatibus, alii in ludibriis, & verberibus, alii in alia cruce ad exemplum Christi futuri, in quem non videntes, credebant, & per patientiam expectabant. Idque vt resurrectionem ex fide per dilectionem in variis istis tribulationibus operatam consequerentur, resurrectionem dico promissam, sicut rursus subiungit, & hi omnes testimonio fidei probati, fidei dico in iis operatæ, quæ Apostolus enumerauit, non acceperunt repromissionem scilicet resurrectionis illius melioris, quam vt inuenirent, vt paulo ante dixit, distenti sunt, idest, tormenta, & cruciatus passi, scilicet per fidem, vt paulo supra dixerat. repetendum est enim ἀπὸ κοινοῦ. pati autem tormenta, & crucem ferre per fidem, nihil aliud est, quàm fidem operari in cruce ferenda, quod iis, qui secundum Christum viuere volunt, necesse est, si cum eodem corregnare velint. Quòd autem resurrectio gloriosa promissa esset patribus ex fide per dilectionem operata, & nobis item eiusdem fidei, ac iustitiæ hæredibus, scriptura docet, cum ait Paulus act. 13. & nos vobis annunciamus eam, quæ ad patres nostros facta est repromissio, quoniam hanc Deus adimpleuit filiis eorum suscitans nobis Iesum, etenim si Christus resurrexit primitiæ dormientium, & nos resurgemus. Rursus Paulus ad Agrippam Act. 26. Et nūc de spe, quæ ad patres nostros repromissionis facta est à Deo, sto in iudicio subiectus, in quam duodecim tribus nostræ nocte, & die deseruientes sperant. de qua spe accusor à Iudæis rex. deinde subiungit, quid incredibile iudicatur apud vos, si Deus mortuos suscitat? Promiserat ergo Deus beatam, & gloriosam resurrectionem Abraæ, & omnibus, qui essent ex fide Abraæ, cum promisit ei, sic futurum esse semen eius, sicut stellas coeli. nō enim multitudo tantum innumerabilis promittebatur, sed etiam splendor resurrectionis, sicut ecclesia quoque interpretata est, quæ in sacrificio, quod pro mortuis offert Deo, sic precatur, sed signifer sanctus Michael representat eas in lucem sanctam, quam olim Abraæ promisisti, & semini eius. Lucem sanctam vocat vitam splendidam, & gloriosam resurgentium in resurrectionem vitæ. huc respexit Paulus cū gloriam resurrectionis cum stellis comparauit, sicut stella (inquit) à stella differt in claritate, sic erit resurrectio. Et dominus per Danielem similibus verbis de resurrectione prophetans & multi (inquit) dor

mientes in aggere terræ surgent, hi in vitam æternam, & hi in opprobrium sempiternum, & intelligentes fulgebunt sicut splendor firmamenti, & a iustis multis tanquam stellæ in sæcula, & amplius. Item per Ezech. resurrectionem vitæ promittens inquit, ossa arida audite verbum domini, hæc dicit dominus ossibus his, ecce ego intromittam in vos spiritum, & viuetis. Et Esaias, surgent, inquit, mortui, & suscitabuntur in monumentis, & quæ sequuntur, &c. Si ergo isti, quos commemorauit Apostolus, probati testimonio fidei in mortificatione, & in vita spirituali per dilectionem operatę promissionem resurrectionis ex huiusmodi fide habuerunt, hoc autem non propter illos tantum scriptum est, sed propter nos, sequitur vt opera quoque nostra per fidem, & fides per opera promissionem habeant eiusdem resurrectionis, ergo & iustitiæ promissionem, iustificati enim, spe resurrectionis salui facti sumus. Qđ autem patres illi promissionem, quam habuerunt resurrectionis ex fide, & operibus, non acceperunt, vt hoc etiam obiter explanemus, nostra causa factũ est. etenim si tunc resurrexissent in resurrectionem vitæ, hoc enim significat consumari, neque incarnatio verbi Dei facta esset, neque sancti Apostoli fuissent, neque nos, neque alii post nos, si quidem post communem resurrectionem, nec erit amplius ortus, nec interitus. Sic hunc locum Gennadius Scholarius auctor valde doctus interpretatus est. Docuit itaque Apost. istis tam multis, tam variisq; exemplis fidem esse πολύφορον σπέρμα, vt Magnetes vetustiss. auctor dixit, idest foecũdum semẽ, quod quidẽ (inquit) nisi seminetur ἄκαρπον, idest, sterile, & infrugiferum maneat, seminari autem non potest sine instrumentis ad sementem spectantibus, hoc est, sine variis operibus, quæ sunt instar boum, terræ, iugi, aratri, peræ, &c. quæ omnia vt ad fructificandum frustra sunt sine semine, sic semen frustra quoq; fuerit sine istis instrumentis, se enim mutuo adiuuant, similiter euenit in fide, & operibus ad fructum iustitiæ ferendum. Item vt lampas (inquit) ardere non potest sine oleo, neq; oleũ splendere sine lampade, sic fides, quæ instar lampadis est sine operibus coram Deo lucere non potest, eademq; rursus facit vt opera ipsa coram Deo, instar olei splendeant, quod satis docuit scriptura in Abraam, quę post tantum temporis & post tam multa opera virtutis ab eo facta dicit, credidit Abraam Deo, & reputatũ est ei ad iustitiã, significat. n. fidem, quã ante quoq; habuerat, sicut Apost. testať, fecisse, vt opera facta reputarenť ad iustitiã, vt ergo lampas, & oleum se adiuuant ad lucendũ, sic fides, & opera

ad fructificādū iustitiā. Item vt fundamētū inutile est, quousq; adueniat superedificatio, qua firmatur, & roborat̃, ac crescit, rursus supaedificatio nihil valet, nisi bono fundamēto sustentetur, sic fides fundamētum est vtile, & firmū, si dilectio, & dilectionis opera superaedificentur, similiter superaedificatio operū vtilis est, si fundamēto fidei imponatur. Neq; vero ego has parabolas primus adinueni, sed ante Mille 400 annos Magnetes auctor grauissimus in libris apologeticis, quos aduersus euangelii calumniatores ad Theosthenem scripsit, ait enim lib. quinto, eodemq; extremo de fide Abrae loquens,

πιστεύσας γὰρ δι' ἔργων ἀγαθῶν εὐαρέστησε τῷ θεῷ, κἀντεῦθεν ἠξιώθη τῆς φιλίας τοῦ κρείττονος, ἐκεῖνα πράττων τὴν πίστιν ἐποίησεν λάμπειν ὑπὲρ τὸν ἥλιον. καὶ σὺν πίστει καλῶς πραγματεύεται. διὸ φιληθεὶς ὑπὸ τοῦ θεοῦ σεμνύνεται, θεμέλιον γὰρ τὴν πίστιν εἰδὼς τοῦ κατορθώματος, ῥιζοῖ ταύτην εἰς βάθος οἰκοδομῶν ἐπ' αὐτῆς τὸ πλῆθος τῶν οἰκτιρμῶν, συνάψας γὰρ ἑκάτερον χρήσει συγγενικῇ, ὑψηλὸν ἐν ἑκατέροις ἀνίστησι πύργωμα οὐκ ἀμάρτυρον ἔργων τὴν πίστιν κτησάμενος, οὐδ' αὖ πάλιν τὰ ἔργα δίχα τῆς πίστεως γυμνητεύειν ἐάσας, σπέρμα δ' εἶναι γνοὺς τὴν πίστιν πολύφορον, τὰ συμβαλλόμενα ἅπαντα συνάγει τῷ σπέρματι, γῆν ἀροτῆρας, πῆραν, ζυγὸν, ἄροτρον, καὶ ὅσα γεωργῶν ἐπιστήμη κατέλεξεν. ὡς γὰρ δίχα τούτων ὁ σπόρος οὐ βάλλεται, καὶ δίχα τῶν σπερμάτων οὐδὲν τῶν μνημονευθέντων ὁ λόγος ἐπιπλεῖ, οὕτως ἡ πίστις σπόρον τινὰ σπέρμα τυγχάνουσα μυστικὸν εἰ μὴ δι' ἔργων βλαστήσειεν ἀγαθῶν, ἄκαρπος ὧδε μένει διαμένουσα, ὡσαύτως τῶν ἀγαθῶν πράξεων ἡ σύνοδος εἰ μὴ τὴν πίστιν συμπεπλεγμένην ἔχει ἑαυτῇ, ἀργὸν ὑπάρχει πρᾶγμα, καὶ πάμπαν ἀτέλεστον, δι' ὃ τὸν Ἀβραὰμ ἵνα διὰ πίστεως δείξῃ τῶν ἔργων τὴν χάριν ἐκλάμποντα, φησὶν ἡ θεία γραφὴ, ἐπίστευσεν Ἀβραὰμ τῷ θεῷ, καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην. ὁρᾷς πῶς τὸ περιλαβὸν κατόρθωμα τῆς ἀρετῆς εἰς δικαιοσύνην ἡ πίστις λογισθῆναι πεποίηκεν, ὡς ὁ σπόρος τὴν χώραν καρποφορεῖσθαι ποιεῖ. ὡς γὰρ λαμπὰς ποιεῖ τοῦ ἐλαίου λάμψαι τὴν ποιότητα ἐμβαλλομένην λύχνῳ, οὕτω πίστις καθάπερ ἐν λύχνῳ βληθεῖσα τῷ Ἀβραὰμ ἀστράψαι πεποίηκε τῶν ἔργων τὴν ἀρετήν. φυσικῶς ὁ Ἀβραὰμ τὸ μὲν ἴσον τῆς πολιτείας παιδευθεὶς ἠσπάζετο, καὶ πλησίοις χρήσιμος ὑπῆρχε, καὶ ἄδολος ἐν δόσει καὶ λήψει φιλῶν τὸ ἀκακούργητον, ἄφθονον τοῖς δεομένοις παραμυθίαν διδοὺς, ἁπλῶς ἐπιτηδευμάτων φαύλων ἀπεχόμενος, ταῦτα εἰ καὶ καλὰ τῷ φαίνεσθαι, καὶ σεμνὰ, οὐδεὶς ἐλογίζετο εἰς δικαιοσύνην, οὐδεὶς ἀρετὴν κατὰ λόγον ἔταττεν, ἐπεὶ

μὴ δ' οἷος τίς ἦν, εἰ μὴ μόνος θεός, ἀλλ' οὔπω ἐπιστεύετο, ὁπηνίκα δ' ὁ Ἀβραὰμ ἐπίστευσε τῷ θεῷ, ταῦτα, καὶ τὰ τοιαῦτα τῆς καλῶν κατορθωμάτων εἰς δικαιοσύνην ἐλογίσθη τῷ Ἀβραάμ.

Interpretabor latine, cum, inquit, Abraam credidit, per opera bona placuit Deo, hinc factus est Dei amicus, qui operando effecit, vt fides supra solem splenderet, & rursus credendo effecit, vt pulchre operaretur, quamobrem amicus Dei honorifice appellatus est, cum enim intelligeret fundamentum virtutis esse fidem, radicauit eam alte ædificans super eam multa opera misericordiæ. copulans enim vtrunque, fidem dico, & opera vinculo quodam necessitudinis, & cognationis celsam turrim ex vtrisque extruxit, neque fidem solam sine testimonio operum, neque opera sola sine testimonio fidei relinquens. imo cum sciret fidem esse semen foecũdum, adhibuit semini omnia accommoda, & opportuna, terram, boues, peram, iugum, arattum, & quæcunque ars agriculturæ docuit. Vt enim sine his non seritur semen, neque nisi causa seminis quicquam istorum, quæ diximus, secundum rationem efficitur, sic fides, quæ quodammodo semen mysticum est, nisi germinarit per opera bona, sed sola potius remaneat, expers fructus, ac germinis iustitiæ est, similiter bona opera nisi fidem habeant secum connexam, & implicatam, otiosa sunt, & prorsus imperfecta, ex quo sacra scriptura vt demonstraret Abraam per fidem protulisse bonorum operum splendorem, ait, credidit Abraam Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. vides quemadmodum fecit fides, vt superiora opera bona reputarentur ad iustitiam, sicuti semen facit, vt ager ferat frugem? vt enim lampas facit, vt oleum lychno infusum splendeat, sic fides immissa Abraæ instar olei infusi lychno fecit, vt virtutes, idest, opera bona splenderent. Seruabat quidem Abraam magistra natura æquitatem in vita communi, eratque vtilis proximis, & à dolo, & fraude alienus, tum dando, & accipiendo nemini nocens, egentibus benigne faciens, & in simpliciate tribuens. deinde à prauis studiis se abstinens. hæc tametsi pulchra, & honesta hominibus viderentur, nemo tamen in iustitiam ea computabat, nemo in virtutibus cum ratione ponebat, quia neque ponere quidem vllus poterat, nisi solus Deus, verum nondum credebat. cum vero Abraam credidit Deo, hæ, atque aliæ huiusmodi actiones, & virtutes computatæ sunt Abraæ in iustitiã. Hactenus Magnetes, apud quem tres illas, quas dixi parabolas, notare licet ad fidem, & opera spectantes fundamenti, & superædifica

tionis

tionis, seminis, & eorum, quæ sunt instrumenta, & adiumenta, vt semen germinet, & lampadis, atque olei. Est alia quarta parabola, aptissima illa quidem, vt mihi videtur, massæ, & fermenti, vt sit instar massæ fides, fermenti vero opera bona, & spiritualia, vt enim sine fermento panis est insuauis, & ad digestionem, ac nutritionem difficilis, rursus fermentum solum sine massa prorsus inutile, massæ vero additum panem efficit suauem, & firmum, salubrem, & facilem ad digerendum, sic dilectio, quæ est, cum secundum mandata Dei ambulamus, instar fermenti totam massam fidei στομῶσα καὶ καταζυμώσασα, idest, firmans, ac fermentans reddit eam vtilem, & salutarem, ita vt massa fidei sine fermento dilectionis & bonorũ operum neque vtilis sit, neque salubris animæ cibus, neque Deo gratus, neque rursus dilectio communis sine massa fidei commoda sit, vtriusque vero temperatio, & admistio salutaris est. hæc est noua conspersio fidei, & bonorum operum Deo placens, sine vetere fermento, idest, sine eius, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptione. Sit postremo alia quinta parabola, vt nihil prodest esse, qui alterum per viam ducat, nisi sit via ad ducendum, neque rursus prodest via, nisi sit, qui ignorantem ducat, quo via tendit, sic fides, vt ait sanctus Ignatius in epist. ad Ephes. est ἀναγωγεὺς ἡμῶν, idest quę nos ducit sursum, ἀγάπη δὲ ὁδὸς ἡ ἀναφέρουσα εἰς θεόν, idest, dilectio autem via, qua ducimur sursum ad Deum. Est itaque, vt ait Clemens duplex fides, vna cõmunis, quæ est credentis tantum, quæ est εὔκολος, καὶ πάνδημος, καὶ πρὸς ἔτι τῶν τυχόντων, idest, facilis, vulgaris, & omnibus exposita, atque obuia, quam nobis exprobrant gentiles, vt idem Clem. ait, altera vero est ἐξαίρετος, idest, egregia, & selecta, quæ est superędificata, consumata, & perfecta, Vbicunque ergo scriptura laudabilis, & probatę, ac salutaris fidei meminit, pfecto fidei meminit p dilectionem operatę, & tanq̃ fermento charitatis tẽperatæ, ac subactæ. quis enim est, qui de massa vtili loquens, aut de vtili fundamẽto, aut de vtili lampade, aut de semine vtili, aut de vtili luce, nõ statim iudicet simul loqui de massa cũ fermẽto admista, de fundamẽto cũ supædificatione, de lãpade cũ oleo, de semine cũ iis, quæ opus sunt, vt semen germinet, & de duce cum via? sic etiam cũ scriptura dicit hominem ex fide iustificari, non fides tantum intelligenda est, sed opera simul cum fide, quæ sunt veræ virtutes, quæ fidem adiuuant ad ferendum fructum iustitiæ. Iustificatur itaque homo ex fide per opera, & ex operibus per fidem, ita vt alterum sine altero ad iustitiam non sufficiat, neque fides sine operibus, neque

opera sine fide. opera enim sine fide non sunt bona: quare si bona sunt, cum fide connexa sint, necesse est, vt superædificatio cum fundam ento, splendor olei cum lampade, germinatio, & viriditas soli cum semine, temperatio fermenti cum massa, vix confectio cũ duce. Sed quæri potest hoc loco, cur frequentius in scriptura sancta dicatur iustitia ex fide quàm ex operibus, cum tamen neque fides sine operibus in Christo valeat, neq; opera sine fide. Neque enim caua est, vt quidam catholici dixerunt, quia iustificamur per gratiam, fides autem, ex qua iustificamur, gratia, & donum Dei, est. hęc .n. ratio in opera quoque fidei conuenit, quæ ipsa etiam sunt dona Dei, neque quia iustificatio fit non secundum debitum, sed secundum gratiam Dei, qui cum nihil homini debere posset, voluit gratis, i dest, ex iis, quæ idem donat, promittere iustitiam, promissioni autem debetur fides de eo, ꝙ fiet, quod à Deo remuneratore dictũ est, qui enim Deo remunerationem promittenti fidem non habeat, non est dignus, qui ab eo aliquid ferat, non est inquam hæc causa, siquidem neque fides ista promissionis Deo placet, nisi sit cum obedientia coniuncta. cum non perfecte credat promittenti, qui non operatur illud, vnde ille promittit, ꝓmittit aũt Deus iustitiã non ex fide tantum remunerationis promissæ, sed ex fide eorum omnium, quæ credere, & operari præcipit. cur ergo apud Paulum frequentius iustitia ex fide, raro autem, & obscurius ex operibus, aut ex dilectione dicatur, in causa est, tum quia fides, vt ait Eccles. principiũ est adhærendi Deo, & vt Clemens in 2. Strom. tradit, est prima inclinatio ad salutem, & fundamentum bonoꝝ operum, ac Deo placentium, quæ fidei superædificantur, tum quia cum dilectio moueat ad operandum, vt ait magnus Diony. fides, vt tradit sanctus Dorothæus in libro περὶ ἀκροταγῆς, quod se ait reperisse scriptum ἐν τῷ γεροντικῷ, idest, in eo libro, qui sententias seniorum continet, vt sunt Cassiani collationes patrum, fides, inquam, περιστέλλει τὰ κωλύοντα, καὶ ποιεῖ ἀνεμπόδιστον τὴν ἐργασίαν, idest, fides est, quæ cohibet prohibentia, & opus liberat impedimento. Quia igitur fides remouendo impedimenta facit, vt fidem ipsam operemur per dilectionem, quæ mouet ad operandum, idcirco Apost. familari sua breuiloquentia, & περιλήψει, idest, comprehensione vtens, iustitiam tribuit fidei, fidem, & opera fidei simul comprehendens, vt satis vel ex vno loco epist. ad Galat. c. 5. intelligi potest, cum ait, in Christo Iesu neque præputium, neq; circuncisionem aliquid valere, sed fidem, quæ per dilectionem in operibus est, hoc enim signifi

care quod ſcriptum eſt, fides per dilectionem ἐνεργουμένη proximo cap. demonſtrabimus. ꝙ ſi fides, quę per dilectionẽ in operibus eſt, valet in Chriſto ad iuſtitiam, ergo opera fidei per dilectionem valent in Chriſto ad iuſtitiam. Vnum enim & idem dicit, qui alterutrum horum dicit, valere in Chriſto fidem per dilectionem in operibus poſitam, aut opera ex fide per dilectionem facta. Eſt præterea tam frequens fidei mentio in iuſtificatione propter Abraam patrem noſtrum, qui fuit exemplum, & parabola noſtræ iuſtificationis, de quo ſatis ſupra diſſeruimus. Deinde quia fides eſt excellentiſſima virtus, quæ, vt ait ſanctus Proclus Conſtantinop. in epiſt. ad Epiſcopos, & preſbyteros χαρίζεται τοῖς ἀνθρώποις τὰ ὑπὲρ φύσιν τοῖς νοητοῖς ἤδη καταμιγνύουσα τὸν ἔτι φοροῦντα τὸ πολυπαθὲς τῆς ὕλης, ideſt, donat (inquit) fides hominibus, quæ ſunt ſupra naturam, & cum coelitibus miſcet eum, qui adhuc corpore terreno, infirmo, & dolente præditus eſt. & paulo poſt idem auctor grauiſſimus fidem eſſe ait ſpeculum charitatis, vt iam ſine hoc ſpeculo impoſſibile ſit ita ornari, vt Deo ꝑ opera placeamus, & rurſus fruſtra adhibeatur hoc ſpeculum, niſi ſint opera, quæ ꝑ ſpeculũ ipſum ornentur, ex quo factum eſt, vt merito ſit tam crebra fidei mentio in iuſtitia. Sed hactenus de fidei diffinitione, & exemplis eius ab Apoſtolo commemoratis, ac de parabolis ad oſtendendum, ex qua fide iuſtificetur homo. Sequitur, vt quod ſcriptum eſt in epiſtola ad Gala. de fide, quæ per dilectionem operatur, explanemus, quod eo magis miror à nemine animaduerſum eſſe, ꝙ ad hanc quæſtionem de iuſtificatione permagni referat, quomodo intelligatur.

Quomodo fides, quæ in Chriſto valet, per dilectionem operetur.

VEniamus iam ad locum Apoſtoli ex epiſtola ad Gala. c. 5. quẽ ſolum ſi recte iſti intelligerent, ſatis eſſet eis ad iſtud de Iuſtificatione peruerſum, & carnale dogma, ex quo reliqua Luteranæ diſciplinæ portenta manarunt, ſponte abiiciendum, vt pleroſq; eorum paulo poſt facturos ſpero, & confido, vbi hic locus explicatus erit. Ergo, vt paulo altius repetamus, teſtificor (inquit) rurſus omni homini circuncidenti ſe, quoniã debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ, quia erant apud Galatas plerique ex Iudæis conuerſis decepti, quaſi circuncíſio cum euangelio retinenda eſſet, vt eos ab eo errore abduceret, ſi (inquit) circuncideris, reliquum

eſt, vt etiam ſabbatizes, ſacrifices, & tuba canas, & reliqua opera huiuſmodi facias, ne videaris legis violator, aut ſi hæc non ſeruas, neque circunciſionem ſeruare debes. ſic enim ſanctus Nilus beati Chryſoſt. diſcipulus in epiſtola ad Synomium hunc locum interpretatus eſt, & in eandem ſententiam idem Apoſt. Roma. 2. ad eos, qui in eodem errore erant, ſcribens, circunciſio quidem (inquit) prodeſt, ſi legem obſerues, quod perinde erat, quaſi diceret, ſi circunciderís, vt legem de circunciſione ſerues, quaſi vtilis tibi ſit tua circunciſio, debes, & reliqua legis, quæ propria Iudæorũ ſunt, facere, debes ſacrificare, lauare frequenter, ſabbatizare, tuba canere, & reliqua huiuſmodi, at ſi non omnia legis facis, ſed potius præuaricator legis es, relinquitur vt tua circunciſio nihil valeat, ac proinde relinqui debeat. Sequitur deinde, Euacuati eſtis à Chriſto, qui in lege iuſtificamini, à gratia excidiſtis, vt qui iuſtitiam, quę ex lege eſt, quæratis, nihil ergo profuit vobis Chriſtus moriendo. non enim vocati eſtis per eum in gratiam libertatis, vt paulo poſt dicit, ideſt, non eſtis liberati, ſicut idem Apoſtolus ait, ab illo timore mortis, quo Iudæi per totam vitam obnoxii erant ſeruituti. erãt enim omnia opera legis ſancita Iudæis propter tranſgreſſionem, ideſt, vt timore tranſgrediendi, & mortem ex trangreſſione incurrendi cohibiti, & repreſſi, tenerentur ſub lege, tanquam ſub pædagogo concluſi. Chriſtus ergo ab illa ſeruitute operum veteris teſtamenti, quod erat proprium Iudæorum, liberauit dans legem in mentem noſtram iuxta prophetiam Hieremiæ, & in corde ſuperſcribens eam, ideſt, non iam in tabulis lapideis, ſed in cõſcientia cuiuſq; tanquam in tabulis carnalibus inſculpens, neque iam timore iræ legis, ſed timore Dei ſanciens decalogum omnium gentium communem, qui vno verbo ſummatim comprehenſus eſt, diliges proximum ſicut te ipſum, aut ſicut eſt in alio loco euangelii, quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis. hæc eſt enim lex, & prophetæ. Nos ergo (inquit) qui in libertatem vocati ſumus, nõ ex operibus legis, quaſi ex operibus legis, quæ apud homines tantum, qui ea videre poſſint, laudem habeant, vt omnia illa Moſaica propter tranſgreſſiones poſita, ſed ſpiritu ex fide cordis, quod ſolus Deus aſpicit, quæ fides non Iudæorum tãtum, ſed gentium eſt, ſpem iuſtitiæ expectamus. Ne vero quis erraret, vt errant iſti, quaſi ſatis eſſet ſola fides in Chriſto, addidit ſpiritu, quaſi diceret, non carne, ideſt, non operibus ſecundum carnem, ſed ſpiritu, hoc eſt vita ſpirituali, ſiue operibus ſpiritus ex fide iuſtificari ſpeę

ramus. Quid enim opus erat dicere ſpiritu ex fide, niſi quia neque ambulare poſſumus ſecundum ſpiritum abſque fide, neque fides quicquam valet abſq; ſpirituali vita, quam vocat ſpiritum ſecundũ idioma ſcripturæ. Vita autẽ ſpiritualis cernitur, & verſatur in operibus charitatis, in qua omnis lex impletur. Idcirco vt declararet magis, quod dixerat, ſubiungit ſtatim, Nam in Chriſto Ieſu neque circuncisio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per charitatem operatur, pro ſpiritu enim, quem prius dixit, dixit modo charitatem, idem itaque erat, ſi dixiſſet, Nam in Chriſto Ieſu neq; præputium aliquid valet, neque circuncisio, ſed fides, quæ per ſpiritum, ideſt, per ſpiritualem vitam operatur, & exercetur, paſſiue enim, vt ſtatim demonſtrabo, accipiendum eſt verbum, operatur, quod neſcio quomodo Luterani non animaduerterunt, qui græcas literas non ignorent, ἐνεργουμένη .n. non actionem, ſed paſſionẽ ſignificat, imo ne ſignificare quidem poteſt. Et quanquam in linguæ huius ſtudio, & ſcientia aliquid fortaſſe mihi meo iure videor poſſe ſumere pro meo in ea multorum annorum vſu, non tamen poſtulo, vt credant, niſi prius collatis locis aliis Pauli, & conſultis grammaticis, eis hoc perſuaſum erit. Ergo idem Apoſtolus 2. Corinth. c. 1. ſiue (inquit) tribulamur, pro veſtra conſolatione & ſalute, quæ operatur in tolerantia earundem paſſionum, quas & nos patimur. idem verbum eſt græce ἐνεργεῖται, quod interpres vertit, operatur paſſiue, ſicut in eodem loco vſus quoque eſt verbo conſolari paſſiue; ſic autem eſſe, ex ipſa ſententia perſpici poteſt, ſalus enim non facit in paſſionum patientia, ſed fit, & vt paſſiue dicam, operatur, hoc enim eſt, quod dominus dixit Lucæ. 21. in patientia veſtra poſſidete, ſiue acquirite animas veſtras, ideſt, ſaluas facite, quod eſt fieri ſalutem in patientia tribulationum, ſic de Zachæo ſcriptum eſt, hodie facta eſt ſalus huic domui. Rurſus idem Apoſtolus Coloſſ. 1. vt exhibeamus (inquit) omnẽ hominem perfectum in Chriſto, in quo, & laboro certans, deinde quia Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate, ſicut ipſe ſcripſit Philipp. & idem Corinth. abundantius inquit, omnibus laboraui non ego, ſed gratia Dei in me, ſubiungit, ſecundum operationem eius, quæ in me operatur in virtute, ideſt, ſecundum operationem eius, quæ in me fit in virtute, rurſus verbum operatũ paſſiue hic accipiendum eſt, tunc enim operatio Dei fit in nobis in virtute, quando nos ſecundum analogiam, & menſuram virtutis propriæ, ideſt, ſtudii, & conatus noſtræ voluntatis ſequimur gratiã

Dei, quæ nobis cooperantibus, in nobis facit operationem. hoc enim est, quod parabola euang. docuit, dari nobis talenta, idest, donationes, & gratias differentes secundum virtutem propriam, idest, ad hoc, vt quisque nostrum in suo talento laboret, & negocietur cooperans Deo secundum mensuram studii, conatus, & laboris proprii. sic enim veteres patres interpretati sunt in parabo. virtutem propriam. Itaque operatio Dei non facit, sed fit per gratiam, & beneplacitum eius in nobis cooperantibus. Ex hoc loco intelligere licet, quod in eandem sententiam dixit idem Apostolus Ephes. 3. oro (inquit) vt det vobis cognoscere charitatem Christi, quæ superat scientiā, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. Deinde docens quomodo hoc facere possit Deus, nempe nobis cooperantibus ei, qui operatur in nobis velle, & perficere, subiungit, ei autem qui potens est omnia facere, supra quam petimus, aut intelligimus abundanter secundum virtutem ἐνεργουμένην ἐν ἡμῖν, idest, secundum virtutem, quæ fit in nobis pro eo, quod est, vt ad Coloss. scripsit, secundum operationem eius, quæ fit in nobis secundum propriam virtutem voluntatis sequentis Deum. Itaque δύναμιν, idest, virtutem vocauit hic in epistola ad Ephes. quam in epist. ad Coloss. vocauit ἐνέργειαν idest, operationem. idem enim significare aliquando vtrunq; verbum, vt alios omittam, annotauit Ioannes Damascenus. præterea beatus Iacobus, multū (inquit) valet oratio iusti ἐνεργουμένη, idest, quæ operatur, passiue, quod nescio quomodo interpres vertit, assidua, quæ autem sit oratio ἐνεργουμένη, idest, operata, intelligi potest ex Esa. cap. 58. cum enim populo Iudæorum propheticis prædictionibus, futurorum malorum commoto, & perterrito, religiosiores quidam, alioqui legem Moisis negligentes & criminum suorum obliti, ieiuniis tamen, & precibus Deum placare studerent, quasi sola ieiunia, & precationes satis essent ad sanctitatem, & iustitiam, iussit Deus prophetæ, vt admoneret eos idcirco non exaudiri, quia non essent iusti, idest, quia preces cum vitæ, & morum sanctitate non coniungerent. me enim (inquit) de die in diem quærunt, & vias meas scire volunt, quasi populus iustitiam faciens, idest, quasi iusti sint, qui enim iustus est, sicut beatus Ioannes ait, iustitiam facit. Est itaque oratio ἐνεργουμένη, quæ cū operibus, & vita spirituali orantis cōiuncta est. vt iam, qui secūdum spiritū ambulant, incessanter illi quidē orare in scriptura dicantur, q; sit vita spiritualis energia, & actus orationis. Sic etiam dicimur facere sermones Christi, cum id, quod loquitur Christus, à no

bis fit, qui eſt λόγος ἐνεργούμενος, ſicut 1. Theſſ. 2. ſermo Dei (inquit) qui ἐνεργεῖται, ideſt, qui operatur paſſiue, ſiue exercetur in vobis cre dentibus, &c. prædicauerat enim Apoſtolus Theſſalonicenſibus hortans eos ad ambulandum in mandatis Dei, & charitate, conſo- lanſq; exemplo Chriſti, & ſanctorum prophetarum ad tolerandũ patienter perſecutiones, teſtificans præterea quod dominus dixe- rat, mementote ſermonis mei, quem ego dixi vobis, non eſt ſeruus maior domino ſuo, ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur, ſi ſer monem meum ſeruauerunt, & veſtrum ſeruabunt. Ergo & nos in- quit) gratias agimus Deo ſine intermiſſione, quoniam cum accepiſ- ſetis à nobis ſermonem auditus Dei, accepiſtis non vt ſermonem hominum, ſed ſicut eſt vere, vt ſermonem Dei (ipſe enim dominus dixit, ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur, ſi ſermonem meum ſeruauerunt, & veſtrum ſeruabunt, quia, ſcilicet ſermo Apoſtolo- rum ſermo Dei eſt.) Deinde quia non fuerant Theſſalonicenſes il lius ſermonis auditores tantum, ſed factores, ſubiungit, qui ſermo Dei in vobis operatur credentibus, ideſt, exercetur, fides enim ver- bi, ſiue ſermonis Dei de eo, quod perſecutiones paſſuri eſſent cre- dentes, & quòd ſermonem Dei ſeruantes, ſermonem quoq; Apo- ſtolorum ſeruaturi eſſent, hæc inquam fides in opere, & actione erat, exercebaturq; in ipſis, cum ſic credentes perſecutiones cum Chriſto pro fide Apoſtolicæ prædicationis æquo animo patieban tur, vnde declarans quod dixit, ſubiungit, vos enim imitatores fa- cti eſtis eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Iudæa in Chriſto Ieſu, quia eadem paſſi eſtis à contribulibus veſtris, ſicut & ipſi à Iudæis, qui & dominum Ieſum Chriſtũ occiderunt, & prophetas, & nos per- ſecuti ſunt, quòd ſi in eo quod Apoſt. ait, ſermo Dei, qui operatur in vo bis, non ad ſermonem illud relatiuum, qui, ſed ad Deum referen- dum eſſet, quæ iſtorum credo erit cauillatio, non dixiſſet ἐνεργεῖται, ſed agendi modo ἐνεργεῖ, ſicut idem Apoſt. alias verbo vti ſolet, vt cum ait, ὁ ἐνεργῶν, ideſt, qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate, non dixit ὁ ἐνεργούμενος. hic vero non credam iſtos tam tardos eſſe, vt iam non intelligant, cum dixit Apoſt. ſermonem auditus Dei exerceri ſiue fieri in credentibus Theſſalonicenſibus, perinde eſſe, quaſi diceret, exerceri, ſiue fieri in eis fidem ſermonis Dei, quem ex auditu Paulo prædicante acceperant, non enim viderant dominum loquentem, ſed Paulum audierant prędicantẽ. Itaque qui ex corde credit, quod dominus dixit, ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur, & ſi ſermonem meum ſeruauerunt, & ve

strum seruabunt, is profecto non recusabit pro defendenda do-ctrina Apostolica, eademque diuina persecutiones cum Christo pati, quin potius fides illius sermonis in perpessione harum per dile-ctionem exercebitur. Item si quis cum illum Dei sermonem audit, quod vni ex minimis fecistis, mihi fecistis, non auditor tantum est habens illius sermonis fidem ψιλὴν, qui ore diligat, sicut ait scriptura, sed potius ex corde credit, & audit, vt faciat, is profecto si po-test, & non prohibeatur, opitulabitur egenti, in qua quidem opi-tulatione sermo ille, idest fides illius sermonis ἐνεργεῖται, hoc est, operatur passiue, atque exercetur, &, vt ita dicam, practicatur. Hęc notare volui, vt exempli gratia intelligeretur, quemadmodũ fides passiue operetur, sicut Apostolus dixit, fides, quæ per dilectionem operatur, hoc est exercetur, de quo loco dicam paulo post, cum ostendero duobus reliquis locis Pauli Apostoli prius collatis ver-bum ἐνεργοῦμαι cum absolute, aut intransitiue, vt grammatici lo-quuntur, dicitur, passiue semper accipi, vt grammatici græci tradũt. cum enim (inquit) essemus in carne, passiones peccatorũ ἐνεργεῖτο idest, operabantur in membris nostris, cum essemus, inquam sub lege operum, quam vocat carnem, sicut iustitiam eiusdem legis operum, iustitiam carnis appellare solet, peccata (inquit) illa, quæ erant contra legem illam operum, quæ propter transgressionem, idest, vt timerent transgredi Iudęi, posita erat, exercebantur in membris, idest, in voluntate nostra carnali, quorum fructus erat mors, quis ergo sic accipiat, quasi dictum sit, passiones peccatorum opera-bantur, actiue, idest, faciebant in membris nostris, quid enim quæ-so, faciebant? dicuntur igitur peccata in membris nostris? non qui-dem facere, sed fieri, nos enim dicimur facere voluntates carnis, aut facere peccata, nos inquam peccata facimus, rursus vero peccata in nobis fiunt, non autem ea faciunt in nobis, quia enim non dicitur quid faciant, absolute dicitur, cum autem absolute, & intransitiue dicitur verbum mediũ, passiue vt dixi, accipitur, vt docet ars grammaticorum græcorum. Extremus locus est. 2. Thessa. c. 2. de Anti-christo, & nunc quis detineat scitis, vt reueletur suo tempore, nam mysterium iniquitatis iam ἐνεργεῖται, idest, operatur passiue, hoc est, ea, quæ prædixerunt prophetæ per spiritum Dei futura esse in aduentu Antichristi, vt fallacias & summam superbiam, &c. iam cernuntur fieri. Itaque mysterium iniquitatis vocat iniquitatem illam Antichristi futuram, quæ exercetur in Antichristi, qui iam exie-runt, in quibus ille velut in mysterio latet, vt qui tollunt nunc iuge

sacrificiũ mysticũ, quod Daniel prædixit c. 11. tollendum esse tempore Antichristi, dici potest iam in istis ἐνεργεῖσθαι, idest, operari, passiue mysterium iniquitatis Antichristi, quis enim dicat posse hic accipi actiue verbum ἐνεργοῦμαι? certe non dicent isti, si quid sensus, aut scientiæ rerum, & verborum habeant. Quare cum in omnibus istis locis passiue accipiat̃ τὸ ἐνεργεῖσθαι, καὶ τὸ ἐνεργούμενον, neq; vllo modo, aut ratione possit actiue, facile mihi persuadeo, interpretem latinum, cum operari interpretatur, passiue vsum esse verbo operor, vt nonnulli ex nostris auctoribus vsi sunt, imo solet scriptura sic aliis verbis similibus vti, vt est illud, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsi consolabuntur, passiue dictũ est, similiter illud, Virgines eorum non sunt lamentatæ, & alia huiusmodi. Ergo vt ad eum locum, in quem omnes istas verbi obseruationes contulimus, redeamus, similiter quoque necesse est, passiue accipere, cum dicit Apostolus fides δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη, idest, à charitate acta, vt passiue item dicuntur ἐνεργούμενοι διὰ τῶν δαιμόνων, idest, acti à dęmonibus. Neque vero parum refert, imo plurimum, actiue, an passiue accipere, cum enim Luterani accipiunt actiue, facile ad peruersum dogma suum accommodant, vt tradãt bona opera fructus esse fidei. idest, quos fides postea, quæ sola prius iustificarit, operetur, quasi fides sit, vt iidem tradunt, instar arboris, quæ suapte natura bona esse possit, antequam bonos fructus ferat, at non sic est, imo fides, & bona opera fructus sunt spiritus, sicut Apostolus ad Gala. c. 5. tradit, fidei vero, & operum ex fide fructus est iustitia, & quæ sunt propria iustitiæ, vt remissio peccatorum, salus animæ, lætitia spiritualis, hæreditas coelestis, vt cum ex aliis locis infinitis intelligi potest, tum ex epistola 2. Petri c. 1. ministrate (inquit) in fide virtutem, & in virtute scientiam, in scientia abstinentiam, in abstinentia patientiam, in patientia pietatem, in pietate amorem fraternitatis, in amore fraternitatis charitatem, deinde subiungit, hæc si vobis adsint, non vacuos. nec ἀκάρπους, idest, neq; sine fructibus, scilicet iustitiæ vos constituent. sicut dixit in epistola ad Philipp. repletos fructibus iustitiæ. fides igitur, & bona opera afferunt iustitiam, & proprios fructus iustitiæ. Hæc est ergo fides, quæ in Christo valet, fides scilicet, quæ per dilectionem operatur, non vt prius in Christo valeat, & postea operetur, sed quæ iam est in opere posita, cum in Christo incipit valere hæc fides, quæ per dilectionem in actu est, fides proprie est, hæc fides vere, & simpliciter, hęc fides actu. liceat enim nobis hanc ἀκρίβειαν verborum, idest, limatã

loquendi rationem, quam simplicitas scripturæ sanctæ non sic subtiliter, & curiose obseruare solet, & si non omnino hic neglexerit, vt mox ostendam, liceat inquam nobis declarandi causa ex humana sapientia sumere, cum enim, vt ait sanctus Clemens in epistola ad discipulos, ex scripturis integram quis, & firmam regulam veritatis susceperit, absurdum non erit, aliquid etiam ex eruditione, ac liberalibus studiis, quæ forte in pueritia attigit, ad assertionem veri dogmatis conferre. sic ergo Aristoteles scientiam τῇ ἐνεργείᾳ, idest, scientiam actu vocat in lib. de moribus septimo, cum scientia vtimur agendo, idest, cum secundum scientiam, quam habemus, operamur. Dupliciter enim (inquit) scire dicimus, nam tum qui habet & non vtitur, tum his, qui vtitur, scire dicitur, quem paulo post veluti interpretans ait, secundum scientiam operari, hunc etiam dicit idem, scire proprie, & vere in decimo lib. Ethic. in agendis (inquit) veritas ex operibus, & vita iudicatur, in his enim est proprium, quare oportet inquit, quæ hactenus dicta sunt, sic considerare, vt cum operibus, & vita conferamus, vt si cum operibus consentientia sint approbemus, sin autem dissentientia, verba solum esse reputemus, qui vero secundum mentem operatur, & hanc excolit, optime is affectus est, & Deo charissimus. hactenus ille. Ille itaq; scit vere, & proprie esse recte viuendum, cuius vita cum scientia, quam habet, congruit, idest, qui recte viuit. Idem enim auctor tradit in 2. & 5. libro, quæ discimus, vt faciamus, faciendo discere, ex quo fiat, vt faciendo quoque sciamus, eos vero, qui non faciunt, ignorare dicit, vnde illud extitit, quod tum Aristoteles, tũ magister eius Plato scripsit, omnem malum ignorare, quæ agere oporteat. Non enim is proprie, & vere, atque actu, & simpliciter scit, tametsi sciat habitu & quodammodo, sicut idem Aristoteles in eodem libro septimo incontinentes ait. quodãmodo scire vniuersalem, & singularem, quia scilicet nesciant simpliciter, cum non eis vtantur. sumpsit autem hæc Aristoteles ex scriptura vetere, vt pleraq; alia, vt Clem. Alexandrinus in Stromateis, & discipulus eius Origenes in comment. Cant. Cant. notarunt. Scriptura enim eos vocare solet sapientes, qui sapientia vtuntur, idest, qui seruant mandata sapientiæ, sicut scriptum est, si cupis sapientiam, serua mandata, & Dauid, timor domini (inquit) initium sapientiæ, deinde subiungit, intellectus bonus omnibus facientibus eam, ii autem faciunt sapientiam, qui secundũ eam operantur, qui sunt vere sapientes, & vere intelligentes. Rursus qui non sic vtuntur sapientia operando mandata, eadem scriptura

dicit non habere eos sapientiam, sed stultos esse, & perire propter insipientiam & ignorare vias domini, neque velle eas cognoscere, sicut scriptum est, noluit intelligere, vt bene ageret, non dixit noluit intelligere vtcunque, sed quomodo, & qua ratione explicauit, vt bene (inquit) ageret, quod est intelligere quidem quodammodo, & habitu, non autem actu, & vere, ac simpliciter, quod in eos, qui scientes peccant, dictum esse, magnus Diony. interpretatur in lib. de diui. nomi. c. 4. Ergo qui sciunt voluntatem domini, neque faciunt, sciunt non quidem proprie, & actu, ac re, & veritate, quæ veritas, cum quid agendum est, si facere possimus, neque prohibeamur, in actione cernitur, & opere diiudicatur, sed potius dicunt se scire, sicut de quibusdam dicit Apostolus qui dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, idest, ad summam ignorantiam, & inscitiam delapsi sunt, quia scilicet cum Deum cognouissent, non secundum Dei notitiam, & cognitionem operati sunt, hoc enim est, non vt Deum glorificasse. Vere itaque sapientia est ἡ τῇ ἐνεργείᾳ, vt Aristoteles loquitur, siue ἡ ἐνεργουμένη, vt loquitur scriptura, idest scientia actu, que autem non est talis, inchoata est, & manca, atque inanis, & sicut idem Aristoteles dicit, λόγοις μόνοις ἀνωφελητέον. Ergo obseruarit hæc in vetere scriptura philosophus sine Christo, alienus à conuersatione Israel, promissionis spem non habens, & sine Deo in hoc mundo, obseruarit inquam, vt sic sentiret, & sic loqueretur, & qui acceperunt spiritum Dei, & Christum induerunt, quorum sunt lex, & prophetæ, & euangelium, non obseruabunt? docuerit ille scientiam vitæ degendæ inanem esse sine munere actionis, & vere, ac proprie scientiam esse τὴν ἐνεργουμένην, docuerit inquam conuenienter scripturæ nostrę siue κατὰ περίπτωσιν, idest, casu, vt nonnulli dixerunt, siue κατὰ συντυχίαν, idest, fortuito, sed tamen non sine consilio, & prouidentia Dei, siue κατ' ἔννοιαν φυσικὴν, idest naturali ratione admoniti, aut quod magis credendum est, ex obseruatione, vt dixi, veteris scripturæ, quæ multo ante septuaginta interpretum tempora græce fuerat reddita, vt idem Clemens Alex. testatur, & isti non sic doceant? aut sic docentibus non assentiantur? aut si hanc rationem sentiendi & loquendi in scientia, & sapientia, obseruarunt, & sic loquuntur, & sic tradunt, quemadmodum non idem obseruarunt in fide? eadem enim obseruatio est in scriptura de fide, quæ est περὶ τὴν ἀληθογνωσίαν, vt verbo Dionysii vtar, idest, quæ in cognitione veritatis versatur, vt is dicatur credere, qui credit τῇ ἐνεργείᾳ, idest, actu, is aũt credit actu. & vere qui

fidem operatur, qui aūt vere credit, hic placet Deo, & viuit ex fide. Hæc ergo est fides, quæ in Christo valet, fides actu, idest, quā operamur per dilectionem, vt incipiat valere, qui autem non credit actu idest, fidem non operatur, incredulus, & infidelis in scriptura dicitur, vt cum apostolus ait, qui suorum, & maxime domesticorū curam non habet, fidem negauit, & infideli deterior est. Sed pergamus ad alias obseruationes scripturæ sanctæ, ait enim Ecclesiasticus, qui liber, ne fortassis, vt quidam ex istis ausi sunt, eius auctoritatem pro nihilo habeant inter canonicos relatus est à synodis Romanis, Innoc. I. Damasi, & Gelasii, tum a Cartag. Floren. Triden. Denique libri huius auctoritate veteres patres tum Græci, tum Latini vsi sunt. Ait ergo, A principio fecit Deus hominem, & posuit eum in manu consilii sui, si volueris seruare mandata & fidem beneplacitam operari, ad quodcunque volueris, porrige manum, ante hominem vita, & mors, &c. Quia non satis erat ad iustitiam fidei facere mandata, nisi qui faciat, ex fide faciat, idest, ad Deum per fidem conuersus, neque satis erat fides nuda, & sola sine operatione mandatorum, idcirco vtrumq; coniunxit Eccles. si volueris inquit seruare mādata, & fidem facere, siue operari beneplacitā, nō dixit si volueris credere, aut habere fidem, ne fortassis existimaret satis esse credere habitu, & quodāmodo, ad vitā, de qua statim subiungit, ante hominē vita, & mors, sed addidit, & si volueris fidē operari, nempe in mandatis. hæc fides per dilectionem ἐνεργουμένη, quam Paulus dicit, nihil enim refert, siue dicamus, fides, quæ per dilectionem operatur, vel siue fides, quam facimus per dilectionem, dilectio enim κινητικὴ est, vt ait Dionys. Areop. idest, habet vim mouendi ad operandum. Hæc est fides, quæ placet Deo, vnde fides beneplacita ab Eccel. appellata est, quæ iustificat hominem, ex quo statim subiungit, ante hominem vita, & mors, iustus enim ex fide viuit. Iam ne vident isti, quemadmodum operari fidem per dilectionem in mandatis, hoc viuificet, & placeat Deo? & quod hæc fides, quam per dilectionem operamur, sit illa, quam Apostolus dixit in Christo valere? ex quo fit, vt quoties de fide iustificante scriptura loquitur, de hac fide loquatur, quæ est fides τῇ ἐνεργείᾳ, idest, actu, & vere, ac proprie fides. reliqua vero omnis ἀδύναμος est, & non simpliciter, sed quodammodo fides. Quare quod Apostolus dixit, fidem tantum, quæ per dilectionem operatur, in Christo valere, pro hoc Iesus filius Sirach eundem spiritū habens in eandem sententiam dixit, fidem, quam in mandatis, vt Deo placeamus, facimus, viuificare.

Simile est, quod ait Salomon Prouer. 12. qui facit, siue operatur fi-
dem, acceptus est apud Deum, fides ergo, quæ est in actione iusti-
ficat, iustitiæ enim proprietas est reddere acceptũ, & amicum Deo.
Item Hiere. circuite (inquit) in viis, & videte, si inuenitis virum, qui
operetur fidem, & amet misericordiam. Sequitur alius locus cum
loco Eccles, mirifice conueniens Deutero. c. 30. dedi (inquit) ante
faciem tuam mortem, & vitam, vt Deũ diligas, & audias vocem eius,
& ei adhæreas. hic quoque describit veram fidem, idest, fidem dile-
ctione operatam, quæ tunc cum per dilectionem in actu est, inci-
pit viuificare. itaq; cum ait, & audias vocem Dei, fidem significat,
fides enim ex auditu est, auditus autem per verbum Dei, at quia
hæc fides si sola, & nuda sit, non facit adhærere Deo, sicut est in Ec
clesiastico c. 25. principium adhærendi Deo fides. dilectio enim
que superædificatur, huiusmodi principium per fidem adhærendi
perficit, idcirco adiunxit, vt Deum diligas, eiq; adhærens. Similiter
in Ecclesia. cum dixit scriptura, principium adhærendi Deo fides,
dilectionem quoque adhibuit, quæ est cõsumatio adhæsionis, sub
iungens timor domini principium dilectionis, vt iam non obscure
docuisse videatur, fidẽ quidẽ fundamentũ esse, cui sit superędificã-
do dilectio, si debeat esse principiũ adherendi Deo, qui. n. adhæret
Deo, vnus spiritus efficitur cum Deo, & non est iam suus, sed Dei
totus, dilectio vero est, quæ vim istam ecstaticam habet, sicut ait
diuinus Dyon: non autem fides sola, dilectionis vero principium,
vt hoc quoque obseruemus, docuit esse timorem, non illum quidẽ,
quem perfecta dilectio, siue charitas eiicit; qui timor non castus di
citur, vt ait sanctus Maximus in responsis ad Thalassium, cuius ori
go, & ortus peccatum est, dum propter peccatum, in quo sumus,
timemus Deum tanquam iudicem, sed alius timor castus, qui non
ex peccato, vt idem ait, sed ex reuerentia excellentiæ, ac præstantię
diuinæ existit, qui semper permanet, ita vt primum ex cognitione
Dei per fidem perfectam tanquam ex fundamento existat reueren
tia ista, ex reuerentia timor, ex timore studium amatorium declinã
di quicquid Deo non placet, & amor faciendi quicquid ille vult.
Congruit cum hoc loco, eumq; magis declarat, quod idem Eccle
siasticus de hoc sancto timore dixit c. 1. qui sine timore erit, nõ po-
terit iustificari, sic enim est in exemplaribus latinis, & sic esse legen
dum in græcis, vt olim incorrupte legebatur, ex Clemente Ale-
xandrino intelligi potest, is enim libro 3. Strom. locum his verbis
citat ὁ γὰρ ἄφοβος οὐ δυνήσεται δικαιωθῆναι, idest, qui sine timore

est non poterit iustificari, quia scilicet timor iste non fidei, sed dilectionis principium est, prius enim cognoscimus Deum per fidem, quàm hic timor ex reuerentia existat, cum nemo timeat, aut reuereatur, quem non nouit, quo principio dilectionis qui caret, dilectionem habere non potest. dilectione vero consumatur iustitia, etenim si consumatur adhæsio cū Deo per dilectionem, ergo per eam consumatur iustitia, iustitia enim vnionem, siue adhæsionem cum Deo præstat. Denique si per dilectionem consumatur iustitia, & adhæsio cum Deo, ergo & fides, ex qua iustificamur dilectione consumatur, ita vt fides sine dilectione imperfecta sit, ac proinde non sit proprie, & simpliciter fides. hoc enim est quod ait Ioannes 1.c.4. qui non diligit, non nouit Deum, quòd si non nouit, ergo neque credidit, non nouit inquam, neque credidit scilicet actu, & simpliciter. non est, qui non videat necessitatem huius connexionis, & consequentiæ. Quod autem legitur in exemplaribus, latinis, vt hoc quoque obiter notemus, fidei autem initiū adglutinandum est ei, sic legendum est, vt ad verbum respondeant græcis latina, fides autem initium est ad glutinandum ei, pro eo, quod est ad adhærendum ei, sic enim est in græcis, initium adhærendi Deo fides, quod si fortasse initium fidei legendum esse contendant isti, ne hæc quidem lectio cum eis faciat, non enim initium fidei inchoatam fidem significat, vt est ista Luteranorū, quod enim inchoatum est, imperfectum, & mancum est, & per se nihil valet, sed significat per fidem nos incipere adhærere Deo, per fidem dico dilectione consumatam. idcirco enim, vt dixi, subiungit statim Eccles. timor domini principium dilectionis. Sed veniamus iam ad locum Iacobi, ex quo etiam intelligent fidem sine dilectione inchoatam fidem esse, & mancam, dilectione vero consumari, quæ consumata (vt sæpe dixi) proprie, & actu fides sit, ex qua iustificetur homo. hortabatur ergo beatus Iacobus eos, ad quos scribebat, vt ferrent patienter tribulationes, docens quantum vtilitatis, & fructūs afferrent, patienter inquam ferrent propter Deum, sicut beatus Petrus ait, hæc est gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniuste, & iterum, hæc (inquit) est gratia, si benefacientes patienter sustinetis, & rursus idem Petrus, ministrate (inquit) in patientia pietatem, hoc ergo est, quod ait Iacobus, patientia opus perfectum habeat, vt sitis perfecti, & integri in nullo deficientes. deinde subiungit, si quis autem vestrum indiget sapientia, idest, si non habet patientiam, neque perfectus est, sed potius,

vt ait scriptura, perdidit sustinentiam, & dereliquit vias rectas, si inquam, sapientiam illam cupit, de qua scriptum est, sapientia filiis suis vitam inspirat, & suscipit exquirentes se, & præibit in via iustitiæ, & qui illam diligit, diligit vitam, & quæ sequũtur, quam quidē sapientiam qui habet seruat mandata, in illis enim seruandis sita est vera sapientia, sicut scriptum est, si cupis sapientiam, serua mandata, is (inquit) postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & nemini improperat scilicet infirmitatem, & ideo nemo diffidat conscius suæ imbecillitatis, quia dat omnibus affluenter, qui benedicit omnibus, qui timent dominum, pusillis cum maioribus, postulet autem in fide nihil διακρινόμενος, idest, nihil diuidens, siue separans scilicet in corde, hoc enim significat διακρίνεσθαι, scilicet diuidere, siue seiungere, aliquid ergo est in fide vera, quod ne ab ea separetur, præcipit Iacobus, nempe dilectio, hæc est enim vna connexio ex tribus illis connexionibus, quas beatus Ignatius beati Ioannis Euangelistæ discipulus in epistola ad Magnesienses laudare, & optare se dicit ᾄδω (inquit) τὰς ἐκκλησίας, ἐν αἷς ἕνωσιν εὔχομαι σαρκὸς καὶ πνεύματος Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ διὰ πάντων ἡμῶν, πίστεως καὶ ἀγάπης, ἧς οὐδὲν προκέκριται, τὸ δὲ κυριώτερον, Ἰησοῦ καὶ πατρός, idest, laudo ecclesias, in quibus vnionem opto, & precor carnis, & spiritus Iesu Christi, fidei, & dilectionis, qua vnione nihil præstantius, & quod est magis proprium, vnionem filii, & patris. rursus idem Ignatius in epistola ad Ephesios ἐὰν τελείως εἰς Ἰησοῦν Χριστὸν ἔχητε τὴν πίστιν, καὶ τὴν ἀγάπην, ἥτις ἐστὶν ἀρχὴ ζωῆς, καὶ τέλος, ἀρχὴ μὲν πίστις, τέλος δὲ ἀγάπη, δύο ἐν ἑνότητι γενόμενα θεοῦ ἐστι. idest, si habetis perfectam in Christum fidem, & dilectionem, quæ perfecta fides principium vitæ est, & finis, principium quidem fides, finis vero dilectio, hæc enim duo in vnum copulata Dei sunt. Item Leo Magnus in sermone 2. de passione, dilectio (inquit) robur fidei, & fides fortitudo dilectionis, tunc verum nomen, ac verus fructus est ambarum, cum insolubilis vtriusq; manet connexio, vbi enim non simul fuerint, simul desunt, item sanctus Zenon serm. 2. tribus in rebus christiani culminis fundamenta consistunt in spe, fide, & charitate, quæ ita sibi inuicem videntur esse connexa, vt sint aliis alia necessaria, spes enim nisi præcedat, cui laborat fides? fides si non sit, quomodo spes ipsa nascetur? quibus si deneges charitatem, vtræq; cessabunt. Et rursus paulo post, sine hac inquit fides, & spes non stabunt. quod vero διακρίνεσθαι separare

significet intelligi potest ex c. 11. Actuum, cum per Angelum admonitus est Petrus, vt iret cum tribus illis gentilibus, qui à Cæsarea missi fuerant, nihil iam discernens, siue diuidens inter Iudæos, & Gentiles, sicut didicerat vaseillo, velut linteo magno summisso, non esse iam cibos distinguendos ratione mundi, & immundi, dixit ergo (inquit, spiritus, vt iret cum illis, nihil διακρινόμενος, quod interpres similiter vertit nihil hæsitans, pro eo quod est, nihil discernens, siue diuidens inter Gentilem, & Iudæum. Item in epistola ad Roma. cap. 14. loquens Apost. de cibis non separandis, ac distinguendis ratione immundi ὁ διακρινόμενος, inquit, quod melius hoc loco interpres sic vertit, vbi ait, qui discernit, si manducauerit, damnatus est, &c. in eo vero loco Ioannis cap. 13. Aspiciebant ergo adinuicem discipuli, hæsitantes de quo diceret, nō est scriptum διακρινόμενοι, sed ἀπορούμενοι. Item Act. 25. Festus ait, hæsitans ego de huiusmodi quæstione, græce ἀπορούμενος scriptum est, non διακρινόμενος. Præterea significare hoc, quod dico, verbum hoc διακρίνεσθαι, perspici potest ex toto illo capite 2. de diui. nomi. de vnita, & diuisa theologia, vbi separationem, siue distinctionem διάκρισιν vocat, & separare διακρίνεσθαι, sic igitur accipitur hic apud beatum Iacob. οὐδὲν διακρινόμενος scilicet τῇ καρδίᾳ, idest, nihil diuidens in corde, ille enim diuidit in corde, siue separat, qui fidem habet, sed fidei non obedit, vt operetur secundum eam, qui quidem non est vnitus cum Deo, neque credit ex toto corde, vt scriptura loquitur, cum enim Eunuchus ille dixisset Philippo ecce aquā, quis prohibet baptizari, respondit Philippus, si credis, non ex parte inquit, sed ex toto corde, idest, si fidem per dilectionem operaris in baptismo, hæc enim valet in Christo, licet baptizari, idest, ablui, & sanctificari per baptismū. Rursus sic esse accipiendū verbum hoc διακρίνεσθαι apud Iacobum intelligi potest ex euang. Marci c. 11. habete (inquit) fidem Dei, amen dico vobis Quicunq; dixerit huic mōti, tollere, & mittere im mare, & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, quia quodcunq; dixerit, fiat, fiet ei, qui non hæsitauerit (inquit) quod græce est, καὶ μὴ διακριθῇ ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ, idest, si habens fidem Dei, & in fide petens non fuerit diuisus in corde, is (inquit) virtutes maximas faciet, has enim significauit nomine montis, vt Clemens in recognitionibus interpretatus est, item sanctus Maximus in libro de obscuris locis scripturæ ad Thalassium, non est (inquit) extra nos fides, ταῖς ἐντολαῖς θείαις ἐνεργουμένη, idest, quæ in diuinis mandatis agitata, & vt

ita dicam, practicata, efficitur regnum Dei, regnum autem Dei est eorum, qui sic regnant, vnio ἄμεσος cum Deo, & paulo post quod interpres Marci vertit, non hæsitare in corde, interpretatus est idē Maximus, non diuidere in mente scilicet vnionem illam cum Deo, quam dixerat, sic enim ait μὴ διακριθεὶς ἐν τῇ καρδίᾳ, τοῦτ᾽ ἔστιν ἐν τῷ νοὶ μὴ διχάζων, sic sanctus Maximus verbū hoc & locum euang. interpretatus est. Fides ergo nisi cum operatione mandatorum vnita, non vnit cum Deo. Significauit itaq; hoc loco dominus, quod Ioan c. 3. scripsit, si non reprehenderit nos cor nostrum, fiduciam habemus ad Deū quod quicquid petierimus, accipiemus ab eo, qm̄ mandata eius custodimus, quia vero per dilectionem custodimus, ideo subiungit, & quæ placita sunt coram eo, facimus, non enim placent Deo, nisi quæ facimus ex charitate. ille ergo cum orat, diuisus est, cuius oratio non est, vt Iacobus ait, ἐνεργουμένη, idest, quæ non est coniuncta cum operatione mandatoꝝ, vt beatus Hierony. in cōment. Hiere. thre. 3. interpretans hunc locum, si non reprehenderit nos cor nostrum, & quæ sequuntur, si quod præcipit (inquit) facimus, quod petimus, obtinemus, deinde subiungit, Valde. n. apud dominum hæc duo coniuncta sunt, vt oratione operatio, & operatione fulciatur oratio. Vnde idem Io. c. 5. hæc est (inquit) fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcunq; petierimus secundum voluntatem eius, audit nos. is autem petit secundum voluntatem eius, qui postulat in fide simul, & obedientia fidei ex dilectione, neutrum ab altero seiungens. Quod ergo dixit idem Iacob, c. 5. multum valet oratio iusti ἐνεργουμένη, idest, cum vita spirituali precantis coniuncta, hoc quoque præcipit nunc, vt neque petamus sine fide, neque fide sola, seiuncta dilectione. Idcirco ait, postulet in fide, & in fide quidem non sola, idest, non separans ab ea dilectionem, per quam fidei obedimus operantes mandata, idcirco subiungit, nihil diuidens, eum enim qui diuidit, & separat, paulo post veluti explicans, quod dixerat appellat δίψυχον, idest, duplicē animo, quasi διακρίνοντα τῇ ἀπιστίᾳ vt idem Paulus loquitur Rom. 4. non putet (inquit) vir ille, quod accipiat aliquid à domino, vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis, imitatus est locū sapientiæ Sirach, qui locus hunc Iacobi declarat, dixerat enim, si cupis sapientiam, serua mandata, & illam dominus tibi suppeditabit, sapientia enim, & disciplina timor domini. beneplacitum eius fides, & mansuetudo, ne repugnes timori domini positus in indigentia, & ne accedas ad eum duplici corde, quod perinde est, quasi

diceret, si indiges sapientia faciendi mandata Dei, time eum, & ad petendam istam sapientiam accede in fide, non duplici corde, idest, accede in fide consentiente cum operibus, quæ est fides per dilectionem operata· explanans enim quid sit duplici corde accedere ad Deum, subiungit, ne simules coram hominibus, & attende in labiis tuis, ne commouearis mente, idest, ne vnum cor coram hominibus habitu, & verbis, cum oras, fingas, & aliud intus tegas, cauendum est enim, ne lingua dissentiat ab animo, ne ore diligamus, & corde longe simus. quales sunt, qui fidem istam Luteranorũ ψιλὼ sine dilectione habent. hi sunt, quibus scriptura dicit, emundate manus peccatores, & purificate corda duplices animo, vtrunque coniunxit, fide enim corda purificantur, sicut alias scriptum est, sed nõ sine operatione, quam manus designat, quæ vnio fidei, & operis cum facta est, διψυχία omnis, idest omnis duplicitas animi sublata est, non enim aliud verbo, & lingua, aliud opere creditur, neque qui huiusmodi est, leuitate, & inconstantia vtitur, aut secundũ carnem cogitat, vt sit apud eum est, & non, sed est. his enim verbis aiebat se Apostolus fidem, & veritatem, quam prædicabat, operari, neque dissentire manum à lingua, neque linguam à corde, quamuis consilium eundi prius ad Corinthios sapienter alioqui mutasset. Hi rursus sunt, quos ecclesiasticus ait ingredi duabus viis, & dissolutos corde. ac non credere Deo, scilicet vere, & proprie, etenim si nõn crederent, saltim quodammodo idest, ψιλῶς, hoc est nude, vt isti credunt, nunquam eos scriptura dixisset, ambulare duabus viis, sed ambulare viis suis, vt de gentibus Deum ignorantibus alias dicit. huiusmodi erant, quos dixit Elias propheta claudicare in duas partes, siue duobus poplitibus, vt est apud septuaginta. fidem enim habebant, sed non fidem dilectione operatam, vt qui mandata domini negligerent, quod idem Elias exprobrauit illis, explicans enim quemadmodum in duas partes, siue duobus poplitibus claudicarent, subiungit, si (inquit) dominus est Deus, sequimini eum, idest, si fidem Dei habetis, operamini eam, si autem Baal, sequimini illum vt sic ambularent vna via optima, & pedibus sanis, non duabus viis malis, & vtroque pede infirmo, oportet enim non diuellere à fide dilectionẽ ad ea mouentem, quæ Deo placita sunt, qui.n. diuellit, is vtroque poplite claudicat, poplite fidei, & poplite operum, cum neque fides eius sit fides εὐδοκίας, idest, beneplaciti, sed potius mortua, vt quæ non moueatur, neque agitetur per dilectionem operata, ex quo fit, vt idem Iacobus eum, qui fidem à vinculo dile-

ctionis dissoluit, vt claudicantem, & infirme in fide stantem recte cum fluctu maris, qui à vento agitatur, compararit, deinde subiunxit, quo magis quod in parabola dixerat explicaret, vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis, firmamentum enim (inquit scriptura) in operibus iustitiæ, cum enim fundamentum fidei per superædificationem dilectionis non firmatur, ipsa etiam fides vacillat, & facile amittitur, sicut Apostolus ait de iis, qui non habent simul cum fide bonam conscientiam, quam quidam (inquit) repellentes circa fidem naufragauerunt, scilicet vento doctrinæ iactati instar fluctus, qui à vento agitatur, translatione vsus est, quæ satis cum ea similitudine congruit, qua beatus Iacobus in iis quoque vsus est, qui à fide disiungunt dilectionem, sine qua non existit bona conscientia, & quæ est in omni opere bono, quod Deo placeat, dilectio enim patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, & quæ sequuntur, quæ omnia sunt opera bona & beneplacentia, in quibus dilectio versatur, & cernitur. Sic enim Clemens Alexan. hunc Pauli de multiplici charitate locum in 2. Strom. interpretatus est Sed vt hunc locum de fide per dilectionē operata, idest, de fidei, & operum vnione iam finiam, quæso istos, quousque tandem diuinam istam vnionem dissoluent? quousq; duplices animo vtroq; pede claudicabunt? dicam enim quod olim Elias iis, qui fidem Dei non operabantur, si dominus est Deus, sequantur eum, si Christus voluntate Dei patris pro istis mortuus est, & isti in mortem eius baptizati sunt, & cum eo mystice resurrexerunt, si hoc inquam mysterium vere, & actu credunt, ambulēt in nouitate vitæ exhibentes membra sua arma iustitiæ, ne sine operibus iustificentur, aut si hoc mysterium non credunt, quòd mortui sint peccato, vt viuant Deo, ne ambulent in nouitate vitæ, obediāt cōcupiscentiis suis, ament schismata, & hæreses, viuant suo more, & modo, & religione, sine capite Ecclesiæ, & totius orbis pastore, sine sacramentis, sine Apostolicis traditionibus, iustificent se ipsos sine, & ante opera, fallentes semetipsos, imo errantes, & in errorem mittentes. Fateor crediderunt hoc mysterium, cum baptizati sunt, cum vetus homo eorum simul crucifixus est, vt destrueretur corpus peccati, sed quid eis prodest, si deinceps huius fidei obliti sunt, sunt autem obliti, quamdiu ex fide tantum sine operibus iustificari volunt, ita vt eueniat istis, quod ei solet, vt beatus Iacobus ait, qui considerauit vultum natiuitatis suæ in speculo, consiserauit enim se, & abiit, & statim oblitus est, qualis fuerit, cum

hoc enim comparat eum, qui auditor tantum est, idest, qui fidem tantum habet, fides enim ex auditu est, vt Apostolus ait. Est itaq; instar speculi fides, quæ ea nobis ostẽdit, quæ nisi per fidem nobis apparere non possunt (vt cum vultus nostros in speculo spectamus, quos alio modo videre nõ possumus) videmus enim fidei speculo splendidum vultum natiuitatis spiritualis, fide inquam videmus per fidem nos, & per opus baptismi regeneratos in Christo, & renouatos, quod si deinceps fidem non operemur, iam sumus obliti, qualis fuerit vultus natiuitatis spiritualis, obliti inquam sumus primæ renouationis, & vt beatus Petrus ait, obliuionem coepimus purgationis veterum peccatorum, non enim credidimus, & fidem in baptismo ad iustitiam operati sumus, vt deinceps fide tantum iustificaremur, imo vero ex fide per dilectionem in baptismo operata iustificati sumus, vt memores illius iustificationis, ex fide item postea per dilectionem in mandatis operata iustificemur, mortui sumus cum Christo in baptismo, vt mortificationem eius in corpore nostro deinceps feramus, vt nisi Christi vitã in nobis non fide tantum, sed opere ostendamus, neque à Christo pro nobis satisfactum sit. Sed de satisfactione Christi pro nobis, quam isti vane, & ociose iactant, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, proximo capite paulisper hic respirantes, studiose, & accurate differemus.

De satisfactione Christi implenda in nobis ambulantibus secundum spiritum.

NAM quod impossibile erat legi (inquit) in quo infirmabatur per carnem, Deus mittens filium suum in similitudinem carnis peccati, & super peccato, damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis. Erat (inquit) lex Moisis inutilis & infirma ad satisfaciendum pro peccato, quod omnes in Adam peccauimus, propter quod iuste omnes ad perpetuã mortem damnati eramus, siquidem ipsi etiam sacerdotes legis, vt infirmitate circundati necessitatem habebãt prius pro suis delictis, deinde pro populi hostias offerre. hoc enim significat, in quo infirmabatur per carnem, dicit autem hoc Apostolus non solum de lege Moisis cui alias quoque infirmitatem istam tribuere solet, sed etiam πολλάκις de lege naturæ, quia lex Moisis, legem naturæ, & infinita alia propria Iudæorum continebat. Quare si lex Moisis infirma

erat ad satisfaciendum pro peccatis omnium, multo ergo magis lex naturæ, quæ erat pars eius. Hoc autem est, quod dominus dixit, non se venisse, vt legem solueret, aut prophetas, sed vt impleret, idest, vt quod neque lex, neque prophetæ facere potuissent, faceret ipse, vt inquam à peccato, & morte nos liberaret. Idcirco ergo Deus filium suum vnigenitũ super causa, & negotio peccati, quod in mundum intrarat, in mundum misit factum similem nobis peccatoribus absque peccato, hoc enim significat missum esse in similitudinem carnis peccati, & de peccato, siue super peccato. Sequitur deinceps, quid missus fecerit, peccatum (inquit) damnauit in carne, moriens enim, qui peccatum non fecit, pro peccatis nostris, traditus est enim propter nostra delicta, & vincens mortem, à qua detineri non potuit in inferno, quasi peccator esset, iuste peccatum damnauit in carne, vt ne amplius neque peccatum, neque mors, cuius erat stimulus peccatũ, remaneret in nobis, pro quibus mortuus est, & resurrexit. Quod ergo dixit damnauit, ad hoc iudiciũ retulit, de quo Ioannes, & potestatem (inquit) dedit ei, iudicium facere, quia filius hominis est. & Esaias prophetans de reditu Christi in coelos hoc iudicio confecto, angelos introducit sic percunctantes, quis est iste, qui venit de Edon tinctis vestibus de Bosra? sic formosus in stola sua, violentia cum fortitudine? sic enim est in septuaginta, deinde introducit dominum respondentem non violente eripuisse nos, sed iusto iudicio peccatum, & mortem damnando, ego (inquit) loquor iustiã, & iudiciũ salutaris & Oseas de eo dẽ, absorta est (inqt) mors in iudicio, vbi est mors causa tua? sic .n. est in septuaginta, siue contentio tua, vt est in aliis exemplis, quasi litigans enim & contendens in iudicio cum morte, iuste mortem vicit, quia enim qui peccatum non fecit, neque facere potuit, morte affectus est pro nobis, ideo à morte iuste detineri non potuit, vt idem resurgens baptizatos in mortem suam, secum simul à morte extraheret, quæ est ratio mysticæ mersionis, & emersionis, absoluẽs & iustificans à peccato, & sic peccatum ipsum damnans, propter quod eramus ad mortem damnati hoc enim est, quod in alio loco ait Apost. mortuum esse propter peccata nostra, & resurrexisse propter nostrã iustificationem, idest, vt nos resurgeremus cũ eo à peccato iustificati, etenim si non resurrexit, neque nos resurreximus, & si per baptismum mortui tantum sumus, adhuc manemus in peccatis præteritis, propter quæ eramus ad mortem damnati. Quare cum aic Apostolus, vt hoc obiter annotem, qui enim mortuus est,

iustificatus est à peccato, sic est accipiendum, vt si diceret, qui mortuus est, & suscitatus, iustificatus est à peccato, & si enim mortuus non peccet, tamen manet in peccatis, si non resurrexerit, ac proinde non iustificatus est. Idcirco explanans Apost. quomodo mortuus iustificatus esset à peccato, subiungit, si autem mortui sumus cũ Christo, credimus ꝙ simul etiam viuemus cum eo, quod perinde est, quasi diceret, si enim per fidem mortui sumus cum Christo in baptismo, per fidem quoque operationis Dei, qui eum suscitauit à mortuis, resurreximus cum eo in baptismo, qui autem facti sunt participes resurrectionis primæ, in his, sicut ait Apocalypsis beati Ioannis, non habet locum mors secunda, sed potius viuent cum Christo. Sed videamus, quid sequitur, vt iustificatio (inquit) legis impleretur in nobis, idest, vt satisfactio pro peccato, quæ secundũ Dei legem morte perpetua omnibus subeunda, sancita erat, quam satisfactionem, vt diximus, lex Moisis perficere non potuit, impleretur in nobis, scriptum enim erat, ex ligno scientiæ boni, & mali non comedetis, quocunque die comedetis ex eo, morte moriemimini, quæ lex vt à Deo verace, & fideli, ac iusto lata, implẽda erat, moriendumq; omnibus, de ea namq; lege dicit hic, de qua dixerat capite proximo superiore, cõcupiscentiã nesciebã, nisi lex diceret, non concupisces, cum .n. audiuit Adam legẽ illã de ligno scientiæ boni, & mali nõ comedetis, quocũq; die comedetis, morte moriemini, tunc concepit cupiditatem, non enim quæ quis habet, & quos potestatẽ habet, & quibus vtitur, cõcupiscit, sed quæ interdicta sũt, & ablata, & quæ non habet, sic enim sanctus Epiphanius in Panario aduersus errores Origenis tomo. 1. libro 2. interpretatus est, rursus de eadem lege interpretatur, quod illic sequitur, ego autem viuebam aliqñ sine lege, nẽpe in Adã, etenim si in Adã peccauimus in Adã ꝑfectoaliquãdo viximus, sine lege autẽ, quia lex, quæ in iubendo, & vetando est, prima fuit de ligno, quæ antequam Adæ data esset, in eo viximus sine lege, Christus ergo mortuus est pro nobis, vt satisfactio pro peccato nostro morte sancita, quam Christus fecit, impleretur in nobis, Christo enim mortuo pro nobis, & suscitato, omnes mortui sumus, & suscitati cum eo per fidem mortis, & resurrectionis eius, atque ita satisfactum à nobis est per Christum, persolutumq; debitum mortis pro peccato, & deletum chirographum, quod (vt idem Apostolus ait) deleuit Christus in cruce. condonans nostra delicta, et peccatum damnans, legem inquã illam Adę datam, et nobis in eo, deleuit, qua eramus ad mortem ob

ligati, quam chirographum appellauit. quia scilicet manum tendendo in Adam ad vetitum lignum, sententiam aduersus nos scripsimus, effecimusq; nostro peccato, quod in eo peccauimus, vt esset chirographum cōtrarium nobis, sic enim chirographum istud interpretatus est beatus Cyrillus in interpretationibus quorundam verborum Pauli Apostoli, quas græce scriptas reperi. quod vero ait deleuisse chirographum istud decretis, siue dogmatibus, vt hoc quoque obiter explanem, decreta, siue dogmata vocauit legem omnium communem continentem necessaria, & quæ omnibus videantur, mandata inquam legis naturalis, de quibus in Actis Apostolorum ἔδοξε γάρ (inquit) vnde dogma, idest, visum est spiritui sancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, scilicet ad execrationem falsorum deorum, quibus erat sanguis dedicatus, & à fornicatione, vt quæ legibus Gentilium non esset interdicta, deinde subiungit, & quæcunque non vultis, vt vobis faciāt homines, ne facite illis, sic enim legit Irineus lib. 3. c. 12. & Sixtus II in libro de castitate, & in euangelio, quæcunq;(inquit) vultis, vt faciāt vobis homines, & vos facite illis, quod Eccl. c. 31. dixit. quæ sunt proximi tui, ex te ipso considera. hæc sunt dogmata, quæ Paulus dicit nunc. meminit autem de his dogmatibus, quia statim dehortaturus erat Colosscēses ab illis Mosaicis, quæ non pertinebant ad dogmata, in quibus Christus vt idem Apostolus ait, legem mandatorum euacuauit, idest, cessare fecit, hæc dogmata appellauit beatus Iacobus verbum insitum, cum ait, quare deponentes omnem immunditiam, & abundantiam malitiæ, suscipite in mansuetudine insitum verbum, hoc est, legem naturalem, quæ omnibus insita est. Prouidens ergo spiritus sanctus futuros esse aliquando, qui dicerent condonatis delictis, & deleto chirographo damnationis per mortem Christi, satis esse redemptis solam fidem ad iustificationē, quod hodie Luterani defendunt, dixit deletum esse chirographum non dogmate, ne sola fides intelligeretur, sed dogmatibus, vt intelligeremus sic esse deletum, & sic nos à peccato iustificatos esse per mortem Christi, vt impleri debeat delectio chirographi in nobis non credentibus tantum, sed fidei obediētibus, idest, operantibus dogmata illa, quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis, & rursus, quæcunque non vultis, vt vobis faciant homines, ne facite illis. Quòd si fides sola ad iustificandum satis erat, vt isti tradunt, dicere debuisset, ne er-

rarent, deleuisse chirographum in fide, non in dogmatibus, at nunc contra ne erraremus, existimantes, vt isti, satis esse solam fidem, non in fide, sed in dogmatibus dixit, idest, in mandatis legis naturalis. neq; enim sunt plures fides, vt diceret numero multitudinis dogmata pro fide, quare dicendo dogmata, tum fidem, tũ reliqua mandata fidei, quæ operamur, intelligi voluit, in quibus impleri debet deletio illa Chirographi. vt enim dixit Apostolus damnasse peccatum in carne, vt iustificatio legis, idest, satisfactio facta pro peccato impleretur, in nobis ambulãtibus secundum spiritum, sic dici potest, deleuisse chirographum, quod contra nos erat, vt deletio eius impleretur in dogmatibus, idest, in nobis ambulantibus secundum dogmata. Sed vt redeamus, vnde digressi sumus, quod iustificationem istam legis in nobis operantibus implendam, satisfactionem pro peccato poena mortis à Deo decreta sancitam, & in Christo factam interpretati sumus, vis verbi δικαιώματος effecit, hoc enim significare δικαίωμα familiari consuetudine sermonis græci docuit Aristo. 5. Ethicorum, sic enim ait, τὸ κοινὸν ἐστι δικαίωμα ἐπανόρθωμα τοῦ ἀδικήματος, idest, δικαίωμα secundum communem consuetudinem sermonis correctio est, siue satisfactio pro iniuria, & septuaginta interpretes, quorum sunt verba electa, & trita, & à quibus pleraq; vocabula mutuata est noua scriptura, sic vsi sunt hoc verbo, vt cum ex infinitis aliis locis intelligi potest, tũ ex c. 21. & 22. Exodi, & Leuit. 20. vbi iudiciales illæ, siue emendationes, siue correctiones iniuriarum, & criminum, siue satisfactiones variis legibus sancitæ δικαιώματα vocantur, quæ interpres latinus nunc iudicia, nunc iustificationes vertit, vt illa, si percusserit quis oculum serui sui, aut ancillæ, & luscos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo, quem eruit. Si quis furatus fuerit bouem, aut ouem & occiderit, vel vendiderit, quinque boues pro vno boue restituet, & quatuor oues pro vna oue. Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur. Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, conuictus noxæ morte moriatur. hmõi erat illa lex, de ligno scientiæ boni, & mali nõ comedetis, quacunq; die comedetis ex eo, morte moriemini. Sic vsus est Apost. hoc verbo Rom. 1. cum ait, qui cũ δικαίωμα Dei cognouissent, quoniã qui talia agũt, digni sunt morte, idest, cũ cognouissent, quibus Deus poenis, & suppliciis malefacta, & iniurias emendare soleat. & Roma. 2. si igitur præputium τὰ δικαιώματα legis, idest, iustitias, siue iustificationis legis custodiat, illas iustitias dicit, quæ pertinent ad satisfactionem, & emendationẽ

iniu-

iniuriarum, qualis erat illa Zachæi, si quid aliquem defraudo, reddo quadruplum. & Rom. 5. igitur sicut per vnius delictum in oẽs homines in condemnationẽ, sic per vnius δικαίωμα in omnes homines εἰς δικαίωσιν vitę, idest, sicut vno homine damnato ad mortẽ perpetuam propter delictum suum, omnes homines condemnati sunt, quia illo delinquente, omnes in eo peccauimus, sicut statim subiungit, per vnius enim inobediẽtiam peccatores constituti sunt multi, sic per vnius δικαίωμα idest, vno satisfaciente, & soluente poenam mortis peccato nostro cõstitutam, omnes homines iustificati sumus à peccato, & liberati, atque absoluti à damnatione mortis, hoc enim significat εἰς δικαίωσιν ζωῆς, idest, in iustificationem vitę, deinde subiũgit, sicut .n. p inobedientiã vnius hominis peccatores cõstituti sunt multi, sic & per vnius obeditionem iusti cõstituentur multi vt sit tota rationis summa hæc, sicut vno damnato propter suum peccatum, omnes damnati sumus, quia illo peccante omnes in eo peccauimus, sic vno soluente sua obedientia vsque ad mortẽ poenam damnationis nostræ, omnes soluimus, quia per fidem, & obedientiam fidei complantamur in baptismo similitudini mortis eius, quam ex obedientia passus est pro nobis, & similitudini resurrectionis. sic igitur accipiendum est, vt dixi δικαίωμα in hoc loco, cum ait, vt iustificatio legis impleretur in nobis. Sed videamus iam in quibus impleatur ista iustificatio legis, pro quibus inquam satisfecerit secundum effectum Christus, & qui rursus satisfecerint in Christo pro peccatis, nempe qui fidei obediunt, idest, eam in mandatis Dei operantur, statim enim subiunxit, qui non secundũ carnem ambulamus, non dixit, vt impleretur in nobis, qui tantũ credimus. & confidimus, aut in nobis credentibus, & postea operantibus, sed in nobis, qui ambulamus, est autem ambulare secundum idioma scripturæ operari mandata, sicut viæ dicuntur ipsa mandata, in quibus tanquam in viis ambulamus operantes ea. Ergo qui non operantur ea, in his non impletur illa, quam Christus fecit, iustificatio, siue satisfactio illius legis Dei iustæ, & veræ de morte perpetua omnibus subeunda propter peccatum. quid igitur isti non operando, sed credendo tantum de morte Christi gloriantur? & illius per sanguinem crucis satisfactionem vane iactant? qui pro nobis quidem mortuus est, & nos cum eo mortui, vt mors eius in nobis quotidie morientibus, & crucem semper portantibus impleatur, vt viuamus Deo, at Deo non viuimus, qui non diligimus, qui enim nõ diligit, manet in morte, vt ait scriptura, rursus non diligi-

mus, qui non operamur, qui enim Deum diligit, sermones eius seruat. Ergo cum Apostolus dixit, damnatum esse peccatum in carne Christi, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui secundum spiritum ambulamus, plane significauit, quamdiu viuimus, compatiendum, & commoriendum esse cum Christo, & vt idem Apostolus dixit, mortificationem Iesu Christi in corporibus nostris omni tempore circunferendam, id autem fieri ambulando secundum spiritum, & facta carnis mortificando. An hæc fiunt, cum creditur tantum? & cum istorum vana fiducia concipitur? nec enim existimandum est frustra relictam esse nobis pugnam istam molestam, & assiduam carnis cũ spiritu, & spiritus cum carne, sed potius vt in mortificatione operum carnis, & in fructificatione spiritus mortẽ Christi, per quam mortui sumus peccato, & resurrectionem eius, per quam resurreximus iustificati à peccato, in corporibus nostris ostendamus, ita vt, qui non ostendat, is mortis Christi, & resurrectionis eius, & suæ in Christo renouationis oblitus esse videatur. At hoc quemadmodum sine, & ante opera fieri potest? Sed conferamus alia loca Apostoli, quo magis intelligatur, quemadmodum istud δικαίωμα legis, idest, satisfactio pro peccato quæ lege illa Dei de moriendo propter peccatũ sancita fuit, impleri debeat in nobis ambulantibus sm spiritũ, cuius factus sum ego Paulus minister, qui nũc (inquit) gaudeo in passionibus p vobis, & ἀνταναπληρῶ, idest, vicissim adimpleo posteriores passiones Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Eccl'a, quod quidẽ perinde est, quasi diceret, impleuisse Christũ pro nobis passiones, & cruciatus, vt nos pro eo vicissim impleamus, quare vt Christo pro omnibus nobis passo, & mortuo, & nos passi, & mortui sumus, sic & nobis vicissim pro Christo patientibus Christus quodãmodo patitur, ita vt passiones eorum, qui sicut beatus Petrus ait, benefacientes patiuntur, & propter Dei conscientiam sustinet tristitias, Christi passiones, & tristitiæ sint, sicut Paulo dictum est, cum persequeretur Ecclesiam, Saule, Saule quid me persequeris. & quod narrat Egesippus libro 3. historiæ suæ Petro rogatu fratrum propter insidias Roma discedenti occurrisse obuiam dominum, & rogatum ad quid veniret, respondisse, vt iterum crucifigeretur venire, intellexit autem Petrus (inquit Egesippus) de sua dictum passione, quod in eo Christus passurus videret. qui patitur (inquit) in singulis non vtiq; corporis dolore, sed quadã misericordiæ compassione, aut gloriæ celebritate. Idem narrat beatus Ambr. lib. 5. epistol. in oratione contra Auxentium de basili-

cis tradendis. Et beatus Martialis Petri principis Apostolorum discipulus in epistola ad Tolossanos c. 18. ve (inquit) eis, qui præsentibus intenti Deum non diligunt, & vos persequuntur, non enim vos, sed Deum persequuntur, patitur enim Deus in vobis, qui in eum creditis, & retributionem eius expectatis in conscientia, & fide &c. verum quia in hac nostra, si pie viuere volumus ἀνταναπληρώσει, idest, reciprocatione vicissim pro Christo patiendi nō est vlla passionum eius æqualitas, quam significare solet aliquando præpositio ἀντί. ille enim pro nobis passus est dominus pro seruis, iustus pro iniustis, & qui peccatum non fecit, neque inuentus est dolus in ore eius, pro impiis, & peccatoribus, idcirco dixit Apostolus ἀνταναπληροῦν, idest, vicissim implere se passiones Christi in carne sua, quæ Christi inquam passiones essent, non illæ quidem primæ, quas in se passus est, Christus enim iam non moritur, & mors ei non dominabitur amplius, sed aliæ posteriores, ac nouissimæ, quas in sanctis suis post illas suas primas quotidie patitur, hoc enim significat ὕστερον, quod posterius est, & vt ita dicam secundarium, vt ὑστερήματα θλίψεων dixerit, quasi ὑστέρας θλίψεις. rursus quia nō sic Christi passiones reciprocamus, vt quomodo ille pro nobis passiones impleuit patiens pro nostris delictis, sic nos pro illo proprie patiamur, sed potius pro nobis, & fratribus nostris, qui sunt membra Christi, idcirco cum dixisset Apost. implere se passiones Christi posteriores in carne sua, addidit pro corpore eius, quod est Ecclesia. hoc autem non est scriptum propter Paulum tantū, sed propter nos, qui cōmunione charitatis debemus alter alterius portare onera, idest, quantum in nobis est ea tollere inuicem orantes, inuicem patientes, & dolentes, inuicem hortantes, inuicem remittentes, & condonantes, vt sic adimpleamus legem Dei, qui hoc exemplo suo vsque ad mortem docuit portans, sicut beatus Petrus ait in corpore suo peccata nostra. quæ sunt onera grauissima, idest, vere illa tollens, hoc enim significare patria lingua (vt hoc obiter notemus) verbum βαστάζειν, obseruauit magnus Basilius in regul. breuiorib. 76. & 77. quod quidem interpres vertit portare, pro eo quod est, αἴρειν idest, tollere, quo vsus est Ioan. Baptista inquiēs, ecce qui tollit peccata mundi, & apud Esa. 53. iste peccata nostra tollit. Si dominus (ait Ioannes) animam suam posuit pro nobis, debemus & nos animas nostras ponere pro fratribus nostris, hęc est lex ἀναδοχῆς, vt ait Marcus Anachoreta in epistola ad Scholasticum, idest, lex suscipiendi aliorum passiones, patiendi inquam pro aliis ex cha-

ritate, quam docuit (inquit) dominus Iesus per spiritum sanctum pphetas, & patriarchas, Apostolos vero, & nos in carne sua docuit. ad hanc legem, ait idem auctor antiquus, & grauis, pertinere quod Apostolus imitatus dominum dixit, adimpleo vicissim posteriores passiones Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia, deinde subiungit, omnes Apostoli communione charitatis tentationes pro nobis susceperunt interpretantes nobis scripturas, prędicantes, & persecutiones patientes, siue (inquit) affligimur, pro vestra salute, & consolatione. hanc ἀκολουθίαν ipsi nobis tradiderunt. hæc ille. Et Petrus, in hoc (inqt) vocati estis, quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Christus ergo passus est pro nobis, vt passio eius, & per crucem satisfactio impleatur in nobis ambulantibus secundum spiritum. qui enim ambulamus secundum spiritum, idest, qui pie in Christo viuimus, passiones, & persecutiones in carne nostra vicissim implemus, pro Christo, idest, pro nobis & pro reliquis membris eius ex charitate patientes. hoc autem fides sola sine, & ante opera non præstat, neque præstare potest, quare inutilis est, & vana. Rursus de huiusmodi passionibus pro nostris proximis secundum legem ἀκολουθίας ex communione charitatis subeundis, & de nostrarum passionum mortificatione scriptum est, qui Christi sunt carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis. non dixit, qui Christi sunt, crucifigent, vt sola fides, vt Luterani tradunt, faciat esse Christi, idest, faciat esse iustos, deinde vero operetur crucifixionem istam, sed qui, inquit, in vario, ac multiplici vitæ huius agone carnem cum vitiis, & concupiscentiis crucifixerunt hi efficiuntur Christi. quem locum explanans Claudius Altisidorensis, venerabilis Bedæ discipulus in comment. epistolæ huius, simul inquit, illud notandum est, quod illos dixerit Christi esse, qui carnem suam cum vitiis crucifixerunt, deinde subiungit, hæc sententia illos reuincit, qui solam fidem ad salutem animarum suarum sufficere arbitrantur. & istos ergo reuincit, qui solam fidem ad iustitiam sufficere arbitrantur, etenim si sola fides non sufficit ad salutem animæ, ergo neque ad iustitiam, iustitiæ enim propria est salus, & vita animæ, sicut scriptum est, iustus ex fide viuit. qui ergo carnem suā crucifixerunt, idest, qui ambulantes secundum spiritum tribulationes Christi in carne sua ex charitate pro fratribus suis iuuandis, & pro omni genere tentationis vincendo ad imitationem Christi implent, hi sunt Christi, & in his iustificatio illa legis,

quam diximus, idest, satisfactio Christi per sanguinem crucis imple. tur. hoc idem docent Catechumeni nostri & infantes, cum ad baptismum accedunt, abrenunciare enim se satanæ, & omnibus operibus eius, ac omnibus pompis eius, & baptizari velle respondent, priusquam eis fides, quam ab ecclesia postulant, à Deo infundatur, vt intelligamus, fidem illam sine operibus imperfectam, & mortuã, cum qua venerunt, nihil eis valere in Christo, nisi prius per dilectionem, quæ illos ad baptismum, vt ait Diony. Areop. mouit, in ipso baptismo operata sit, & deinceps perpetuo in renunciatione satanæ, & operum eius, quæ nos assidue persequuntur, & infestãt, & in mortificatione carnis per dilectionem operetur. sic enim seruatur in eis participatio mortis, & resurrectionis Christi in baptismo facta, sic impletur in eisdem Christi satisfactio. Præterea dominus, qui vult (inquit) venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me, non dixit, qui vult venire post me, credat tantum, sed abneget semetipsum, ille autem abnegat semetipsum, qui non facit voluntates carnis, is enim crucem suam tollit, vt carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis crucifigat operans in sui mortificatione fidem, qua credit, quod qui resuscitauit dominum Iesum à mortuis, & nos cum Iesu suscitabit, propter quod (inquit Apostolus) non deficimus, sed licet is, qui foris est noster homo, corrumpatur, tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem, vt enim in elementis mundi corruptio antecedit generationem, vt physici tradunt, similiter in spiritualibus non efficitur renouatio creaturæ, quæ est quædam generatio, nisi antegressa sit carnis mortificatio, in qua ex fide per dilectionẽ agitata, & operata fiat ad iustitiam spiritus renouatio de die in diem, vt qui iustus est, iustificetur adhuc. quomodo igitur sola fides ante operationem sufficiat ad renouationem hominis interioris, quæ est iustificatio spiritus, si antecedere debet hominis exterioris, idest, passionum, & cõcupiscentiarum mortificatio? quæ quidem mortificatio cum sine fide fieri non possit, sequitur, vt fides per dilectionem in huiusmodi mortificatione operata renouationem, ac iustificationem efficiat. non enim est (inquit) sanctus Diadochus Episcopus Photineñ. c. 89. alia virtus, quæ possit acquirere τὴν ἀπάθειαν, nisi dilectio, quæ quidem ἀπάθεια quia fructus est renouationis, ideo subiungit statim, quare renouatur de die in diem homo interior gustu dilectionis, impletur autem in perfectione eius, &c. prima ergo renouatio per regenerationem mystici lauacri, in qua primũ satisfactio Chri

sti nobiscum communicata est, non impletur in nobis, nisi de die in diem per vniuersam vitam vsque in finem renouemur. renouari autem non possumus, nisi qui foris est homo, mortificetur. at mortificari non potest sine fide, per fidem ergo in mortificatione carnis operatam impletur in nobis Christi satisfactio, vt nobis ad iustificationem, & renouationem in Christo valeat. hoc ergo est ambulare digne Deo, & digne euangelio Christi, non credere tãtum, sed fidem operari in compatiendo, vt conglorificemur, quod Paulus clarissime docuit in epist. ad Philipp. tantũ (inquit) digne euangelio Christi conuersamini, vt siue cum venero, & videro vos, siue absens audiam de vobis, quia statis in vno spiritu vnanimes collaborãtes fidei euangelii. græce dixit συναθλοῦντες τῇ πίστει, pro eo quod est συμμαχοῦντες τῇ πίστει καὶ συναγωνιζόμενοι, idest, adiuuantes fidem laborando, & certando, quasi fides sola infirma sit, & in Christo ad iustitiam minime valeat sine operibus, idem enim erat, si dixisset συνεργοῦντες τῇ πίστει, idest, cooperantes fidei, fidem inquam opere adiuuantes. Quare quod Iacobus dixit, fides συνήργει τοῖς ἔργοις αὐτοῦ, idest, fides cooperabatur operibus illius, pro eo est, ac si dixisset, Abraam συνήθλει ἢ συνηγωνίζετο τῇ πίστει, idest, Abraam collaborabat fidei, vt vtrunque plane dicat scriptura, fidem adiuuare opera, & opera adiuuare fidem. postquam autem admonuit Philippen. vt collaborarent fidei euangelii, & in nullo terrerentur ab aduersariis, subiunxit, quæ merces vtrosq; maneret. quæ illis (inquit) idest, aduersariis est causa perditionis, vobis autem, idest, collaborantibus fidei, causa salutis, siue, vt est in græcis exemplis ostensio salutis, quòd in eo ostendatur iustitia, & salus animæ, quæ propria est iustitiæ, non si quis credat tantum, sed si quis fidei collaboret. idest, fidem adiuuet operando, vt ex fide operata iustificetur, & saluus fiat. docet deinde vtrunq; esse Dei donum non credere tantum, sed fidem operari, subiungit enim statim, & hoc à Deo, quia vobis datum est, pro Christo nõ solum vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini. patimur autem pro Christo, non solũ cum homines nos propter iustitiam persequuntur, sed cum laboramus assidue, ne occultæ concupiscentię, aut alienæ suggestiones in nobis dominentur, vt simus à peccatis maioribus mundi, quod quidem certamen assiduum est, & perpetuus hic labor. quare perpetuo operanda in eo fides, vnde Apostolus, Semper (inquit) mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circunferẽtes, quod quidem non de se tantum dixisse, sed de omnibus spiritualibus docuit

idem subiungens, vt vita Iesu Christi manifestetur in corporibus nostris. Si enim de se tantum dixisset, nunq̃ in corporibus dixisset, qui nō corpora, sed corpus habebat. Est autem hoc perinde quasi diceret, propterea nos circunferre in carne nostra mortificationem Iesu Christi, idest, passiones, tribulationes, & tētationes eius, deniq; omnes infirmitates siue intus, siue foris, per quas oportet intrare in regnum coelorum, vt appareat in nobis Christum resurrexisse, qui enim nos quotidie ex passionibus, tribulationibus, ac tentationibus veluti ex morte quadam eripit, certe se ipsum quoque à morte suscitauit. Simile enim est quod sup ca. c. 1. eiusdem epist. dixerat, qui suscitabit mortuos, qui de tantis periculis nos eripuit, quasi diceret, is è tot tantisq; periculis eripit, qui mortuos suscitabit, qui autē mortuos suscitaturus est, se prius à mortuis suscitauit. Hoc ergo est, quod in corporibus nostris, cum compatimur, manifestatur, sicq; iustificatio illa legis, idest satisfactio per mortem pro peccatis nostris impletur in nobis circunferendo in carne nostra mortificationem Iesu Christi pro nobis mortui, dum autem sic impletur compatiendo ei, manifestatur in corpore nostro, sicut idem Apostolus ait, Christi resurrectio. Ergo qui mortificationem Iesu Christi in corporibus suis, passionibus propter Dei conscientiā patienter tolerandis circunferunt, hi fiduciam habebunt, vt beatus Ioannes ait, in die iudicii, quoniam sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo, id est, quia sicut illum odio habuit mundus, & nos odit, quos autem mundus odit, hos persequitur tanquam alienos, rursus quos mundus, & id, quod in mundo est persequitur, hi vt paulo supra idem Ioannes dixerat, suadebunt tunc cordibus suis coram illo, quod est fiduciam habere in die iudicii, quod cum eo regnaturi sint, cum quo persecutiones passi sunt magis Deum timentes, quàm vllas huius saeculi passiones, & tribulationes. timor enim Dei, quem diligimus, ceterum omnem timorem, qui non est Dei, eiicit, si fuerit hic perfecta charitas nobiscum, quae quidem non est in eo, qui non patitur cum Christo, eum dico, qui potius eligit à mundo diligi, q̃ vexari, q; si non est in eo perfecta charitas, ergo neq; Deus, sic enim ratiocinatur beatus Ioannes. Quomodo igitur fides tantum iustificet? aut quomodo iustus fuerit, in quo Deus non est? Deniq; si charitas Christi, qua animam suam pro nobis posuit, sine reciprocatione charitatis nostrae nobis nihil prodest, neque passio illius sine nostra passione, neq; mors sine nostra mortificatione, qui [illegible] pro nobis satisfactionem cū fide sola iactitant non [illegible]

sione Christi tm̄ gloriari, sed simul de nr̄is in Christo passionibus: propter nos enim scriptum quoque est, quod Apostolus de se aie bat, Quotidie morior per gloriam vestram, quam habeo in Chri sto Iesu, & illud, pro me autem nihil gloriabor, nisi in infirmitati bus meis. Sed disseramus rursus de mortificatione Iesu Christi, quę in corporibus nostris, sicut Apostolus ait, circunferenda est, hanc enim describit propheta cum alias, tum psalmo 68. cui titulus est. psalmus Dauid, idest, psalmus dictus in Christum, qui apud pro phetas non raro dicitur Dauid consuetudine scripturæ, quæ no minibus maiorum posteros appellare solet, sic enim beatus Petrus huiusmodi inscriptiones psalmorum interpretari docuit, cum simi lem inscriptionem interpretans Act. 2. Dauid (inquit) dicit in Chri stum, in finem vero addidit, pro eo, ac diceret, dictus in Christum, cum per passionem consumatus est, pro immutandis vero adiun xit, idest, pro conuertendis ad eum, consumatus enim sicut Apost. ait, factus est omnibus obtemperantibus, idest, ad se cōuersis causa salutis æternæ, quos quidem ad exemplum Christi, ea quæ in hoc psalmo continentur, confidenter dicere oportet, scripta enim sunt de Christo pro nobis passo, non propter Christum tantum, sed propter eos, qui Christo compatiuntur, hi enim sunt, qui se ad eū conuertunt, eum quærunt, eidemq; obediunt. Christus ergo de scribens amaras angorum, tormentorum, & persecutionum aquas, quas sitiens nostram salutem sponte bibit vsque ad mortem, multi plicati (inquit) sunt, qui oderunt me gratis idest, sine mea culpa, hoc idem prædixerat in euang. euenturum esse iis, qui Christi esse vellent, quod si mundus (inquit) vos odit, scitote, quoniam me prio rem odio habuit, sequitur, cōfortati sunt, qui iniuste persecuti sunt me inimici mei, hoc item dominus suis prædixit in euangelio. ꝙ si me (inquit) persecuti sunt, & vos persequentur. sequitur, Quæ non rapui, tunc exsoluebam, explicat quemadmodum gratis oderint, & iniuste persecuti sint, quia scilicet peccatum non fecit, neque in uentus est dolus in ore eius, peccata enim vt quæ naturæ hominis non conueniant, aliena sunt, quæ rapi dicuntur, sic enim dominus dixit in euangelio, si in alieno non fuistis fideles, idest, si non absti netis ab iis, quæ à ratione aliena sunt, quod verum est, idest, quæ vestræ naturæ conueniunt, quis dabit vobis? idest, si non declina tis à malo, quomodo quod bonum est, facietis? maximū autem pec catum, de quo Iudæi Christum falso accusabant, illud erat, quasi alienam diuinitatem sibi vsurparet, quia (inquit) filium Dei se facit,

& vt

& vt est in Sap. Salom. gloriatur patrem se habere Deum, de quo Apostolus non rapinam (inquit)arbitratus est, se esse æqualē Deo. pro eo ergo est, ac diceret, quæ non peccaui,luebam,& quæ non debebam,persolui,nostrum enim erat debitum, & nostrum chirographum, quod deleuit affigens illud cruci. simile ergo aliquid à suis requirit Christus, vt scilicet gratis, ac sine vlla culpa patiantur, sicut beatus Petrus ait, si benefacientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum, in hoc enim vocatis estis, quia Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius, qui pecatum non fecit, neque inuentus est dolus in ore eius. nec enim peccata alia habebat, nisi nostra, quæ ipse, vt Esaias ait, portauit. Sequitur, Non erubescant, qui expectant te domine, domine virtutum. Petit à Deo patre homo Christus Iesus,vt moriendo vincat mortem, resurgens per gloriam patris, vt qui similiter absque peccato propter Deum quotidie in mortem traduntur, & mortificationem Iesu Christi circunferunt in corpore suo,sperent, & confidant, quòd qui voluit,& potuit, vtpote dominus virtutum suscitare Iesum voluntate Dei passum,& morte affectū,& eos ipsos cum Iesu suscitabit, hoc est enim non erubescere in Christo, qui expectant,& sustinent dominum. Subiungit deinde,Non confundantur super me,qui quærunt te,eandem sententiam repetit,vt declaret, quanto studio, & contentione hoc petierit, simulq; docet, pro quibus psalmi huius preces adhibeat, nempe pro iis, qui quærunt dominum, & sustinent eum, quos in psalmi inscriptione appellauit immutandos,idest,conuertendos ad dominum,vt eū quærerent,& eum sustinerent, vt iam qui fidem tantum habent,nō operantes eam in variis,& multiplicibus tentationibus Christo compatientes,ii neque Deum quærant, neque se ad eum conuertant, nec eum sustineant. Etenim si credendo tantum,& non compatiendo Christus quæri.& inueniri possit, quorsum resurrectionem suā, & nostram consurrectionem à patre oeconomice petens,inter patiendum diceret, non confundantur super me, qui quærunt te? Explicat deinde sigillatim propheta per personam Christi,quæ sint illa, quæ Christus passus est, in quibus qui se ad eum conuertunt,& eū quærunt,eundem confidenter imitari debeant compatiendo. Quia enim Christus omnia passus est propter mandatū patris,& obedientiam,nisi ab eo suscitatus esset,propter quē omnia perpessus est,neq; ceteri propter Deum æquo animo paterentur,quod alioqui necesse esset, nec eum patienter sustinerent, vt qui se suscitandos minime

speraret. Ne ergo (inquit) erubescant, qui sustinent te dñe, dñe virtutum. & ne confundantur super me, qui quærunt te. erubescerēt autem, & confunderentur, si non me suscitares, quia propter te (inquit) domine sustinui opprobrium, illud scilicet, quod scriptura narrat. Prætereuntes (inquit) blasphemabant mouentes capita sua, & dicentes, vah, qui destruis templum Dei, & in tribus diebus reædificas illud, saluum fac temet ipsum descendens de cruce, similiter, & summi sacerdotes ad alterutrum cum scribis dicebant, seipsum non potest saluum facere Christus rex Israel, descendat nunc de cruce, vt videamus, & credamus. Sequitur, Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ. hoc quoq; quod Christo acerbissimum fuit, idem propter Deum patientissime tulit, vt similiter, qui se à suis deseri, & derelinqui propter Dei conscientiam patienter tulerint, iidem similiter sperent, ꝙ qui Iesum suscitauit à morte, eosdem quoq; liberabit, & Iesum cum eis constituet. Igitur quos Dauid fratres, & filios matris, idest, synagogæ appellauit, notos vocauit Euangelista. Iudęos inquam siue cognationis, siue notitiæ necessitudine iunctos, quos dixit à longe stetisse omnes. Sic enim interpretatus est, quod propheta dixerat, factum esse alienū, & peregrinum notis suis, ꝙ tempore passionis propter metum Iudæorum, sic à longe steterunt noti eius, quasi nihil ad eos de Christo pertineret tanquam de alieno. & peregrino, Sequitur, Quoniā zelus domus tuæ comedit me, hoc etiam de Christo dicit scriptura non propter Christum tantum, sed propter nos, vt si zelo Dei mordente pro honore eius defendendo nullum periculum metuētes confidenter dixerimus, zelus domus tuæ comedit me, speremus ꝙ nos suscitaturus sit, qui suscitauit Iesum à mortuis, qui ad nostrā doctrinam zelo domus suæ vrente, omni negotiatione è templo seuere eiecta, & mensis argentariorum euersis, & ære effuso, tantum odium, & periculum incurrit, vt post illud factum scripserit Euangelista, ꝙ Iesus non credebat semetipsum eis, eo ꝙ ipse nosset oēs, ipse.n. sciebat quid esset in homine. Sequitur, Et opprobria opprobrantiū tibi ceciderunt super me, hoc quoq; propter nos scriptum est, qui si dominum quęrimus, ferre nos oportet patienter propter Deum, si quando fortassis exprobretur, quod patimur, vt benefaciamus. sicut Deo patri, & filio eius crucifixo exprobrabant, qui aiebant, si enim est vere filius Dei, eripiet eum, & liberabit illum de manibus contrariorum. Sequitur, & operui in ieiunio animam meam. Ieiunauit quoque dominus, vt narrat Euangelista quadra-

ginta diebus,& quadraginta noctibus in deserto, vt fugeret ostentationem,sicut dominus in euangelio præcipit,sic ieiunare,vt non videamur hominibus ieiunantes. hoc enim significat, operui in ieiunio animam meam. ex quo quidem ieiunio cœpit tẽtator exprobrandi occasionem, cum post ieiunium quadraginta dierum,& totidem noctium, cum esuriret,accessit, & dixit exprobrans esuritionem, si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. hoc enim significat, quod statim subiungit, & ieiunium factum est in exprobrationem mihi. Sequitur, Et posui vestimentum meum cilicium, & factus sum illis in parabolam, vtebatur enim vestitu aspero, & rudi, de quo etiam, vt alia taceam, notabant eum, cum aiebant,vt est in Sap. Salom. dissimilis est via illius, & abstinet se à viis nostris. Sequitur, ego autem orabam, ad ieiunia, & cilitium accedebat item orandi studium. deinde subiungit,aduersus me loquebantur,qui sedebant in porta,& in me psallebant,qui bibebant vinum,significat sustinuisse etiam maledicta,& detractiones, quæ familiaria esse solent otiosis, & curiosis, hi enim conuiuia, & portas ciuitatis frequẽtare solent. Quia vero, vt beatus Petrus ait, cum Christus maledicetur, non maledicebat, sed potius,vt idem in euangelio docuit,& præcepit,pro maledicentibus orabat, subiungit statim, ego autem orationem meam ad te domine. multa ergo hactenus commemorauit propheta carni inimica, quæ qui sustinet propter Deum, is ambulat secundum spiritum, qui concupiscit aduersus carnem, in quibus omnibus repetendum est, quod supra dixerat, non erubescant,qui expectant te domine,domine virtutum,neque confundantur super me,qui quærunt te,quoniam propter te dura omnia sustinui,odia, persecutiones,criminationes,probra,dedecora,desertiones meorum, vrij zelo, insidias, pericula, exprobrationes, ieiunia,cilitia, instare orationi. maledicta, & orare pro maledicentibus,denique tentatus est per omnia, vt Apostolus Paulus ait, vt scilicet cum Christum omnia sponte passum Deus suscitaret, qui Deum quærent, simili modo,via, ac ratione omnia propter Deũ sustinendi, intuentes in Christum se similiter cum Iesu suscitandos confiderent, Christus enim passus est pro nobis,nobis,vt beatus Petrus ait, relinquens exemplum, vt sequeremur vestigia eius. Non ergo fide tantum quærendus est Deus,neque credendo tantum ad Deum conuertimur,sed fidem per dilectionem in huiusmodi angustiis, passionibus, & mortificationibus operando, his enim

qui Christi vestigia sequuntur, Christus passus est, his ieiunauit, his esuriuit, his sudauit, his fatigatus est, his orauit, denique pro his satisfecit, quorum compassionibus tanquam corporis sui Christi, qui caput est, passiones implentur, & cumulantur. propter nos.n. vt paulo ante dixi, hæc omnia scripta sunt, sicut admonet ipsa inscriptio psalmi inscripti pro immutandis, vt intelligamus non posse nos aliter immutari, & ad Deum cõuerti, ac cum eo per gratiam iustificantem vniri, nisi fidem Christi in his, quæ Christus pro nobis sustinuit, ad exemplum eius compatiendo operemur. Eos autem, qui sic dominum quærunt, & sustinent, nouit idem dominus ex tentationibus eripere, sicut ipse orauit, inquiens, non erubescant, qui sustinent te domine, domine virtutum, non confundãtur super me, qui quærunt te, quoniam propter te sustinui opprobriũ, maledicta, famem, & cetera omnia, quæ supra exposita sunt. Fidelis sermo, si sustinebimus, & corregnabimus. Sed animales Luterani ea, quæ carni sunt inimica, fugientes, non percipiunt quæ spiritus sunt, & ideo non intelligunt, sicut Apostolus de quibusdam ait, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, cũ tradunt, satis esse ad iustitiam, passionem, & mortem Christi per fidem apprehẽdere, & præter Christi satisfactionem, alia satisfactione nostra opus non esse. Quomodo vero Apost. ministraret euangelio, vt in eo ministerio multa perpeti necesse esset, declarat idem in epist. ad Timoth. 2. cum ait, tu autem attendisti, & obseruasti diligenter (hoc enim significat παρακολουθεῖν) tanquam filius in vestigia patris aspiciens, seruiebat enim Paulo in ministerio euangelii, tanquam filius patri, vt de eo scripsit in epistola ad Philipp. obseruasti, inquit, meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, hæc enim sunt euangelici ministerii propria. vt incorrupta veritas manifeste tradatur, & sine dolo, & astutia recte tractetur verbum veritatis, vt magistri vita sit sancta, neque faciat in occulto, quæ turpe sit dicere, vt de quibusdam dixit Apostolus, sed potius abdicet occulta dedecoris, vt idem Paulus de se dixit, item vt propositum sit non sua, sed quæ Christi sunt, quærere, & omnia fiant propter electos, vt salutem cõsequantur, quæ est in Christo Iesu, item vt certet bonum certamẽ fidei, præterea vt peccata fratrum toleranter ferat, adducens eos quantum in se erit, ad poenitentiam, item vt charitate omnes complectatur. Quia vero harum virtutum comites indiuiduæ sunt passiones, & tribulationes, quæ patientiam per dilectionem operant̃,

addit obseruasti etiam patientiam, persecutiones, passiones, deinde subiungit, & ex omnibus eripuit me dominus, quod quidem non propter Paulum tantũ scriptum est, sed propter pios omnes, quos nouit dominus ex tentatione eripere, omnes enim (inquit) qui pie volunt viuere, in Christo persecutionem patientur. patiuntur autẽ in Christo persecutiones, qui non patiuntur peccantes, quæ enim (inquit) gratia est, si peccantes, & colaphizati suffertis? sed patiunt̃ benefacientes, quæ est gratia apud Deum, qui ergo patiuntur in Christo tanquam in capite suo, qui sunt omnes, qui pie viuere volunt, rursus in his Christus tanquam in membris suis patitur, & in his impletur secundum scripturam Christi pro peccatis nostris satisfactio, hi enim sunt digni Christi cruce, & satisfactione p crucẽ, hi crucẽ suam tollunt, & sequuntur eũ, sicut ipse dixit, idest, qui bene facientes, pieq; viuentes sustinent passiones. Interrogent autem isti conscientias suas, an credendo tantum, idest, passionem, & crucem Christi fide tantum apprehendendo, cruces suas tollant, vt Deo, & Dei iustitia digni sint, & vtrum fidem tantum habere, sit benefaciẽtes, & pie viuentes patienter sustinere in Christo passiones, quod necesse est ad iustitiam. Interrogent rursus, vtrum credentes tantũ, crucientur operibus iniquis aliorum, quæ est vna omnium pie, & iuste viuentium communis crux, & passio, sicut de beato Lot ad nostram doctrinam scriptum est, aspectu enim inquit, & auditu iustus erat habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabãt, nouit Deus pios de tentatione eripere. Sed rursus videte fratres, quid iterum dicit Apostolus de iustitia Dei, qua illam iustificationem legis, qua eramus propter peccatum ad mortẽ damnati, pro nobis impleuit, quem proposuit (inquit) propitiatorem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ eius propter remissionem præcedentium delictorum in sustinentia Dei, scilicet, hæc fuit Dei iustitia, quòd cum omnipotens esset, noluit imperium mortis, quod diabolus in nos habebat, per vim destruere, sed in iudicio, & iustitia, sicut ait Esa. nempe moriens qui peccatũ non fecerat pro nobis, quos multis sæculis patienter in peccatis sustinuerat, & tolerarat, donec veniret tempus redemptionis, deinde subiungit rursus, ad ostensionem iustitiæ eius, hoc tempore, quod perinde est, quasi diceret ad ostensionem iustitiæ eius in nobis, semper dum sumus, iuxta idioma scripturæ, quod idem Apostolus interpretatus est, cum ait, hodie si vocem eius audieritis, idest, quandiu in nobis cognominatur hodie, sic nunc ad ostensionem iustitiæ

eius in hoc tempore, ideſt, quandiu in nobis cognominatur hoc tempus. Venit itaque Christus in illo tempore, vt ſubeundo mortem pro nobis, qui propter peccata præterita eramus ad mortem damnati, & reſurgendo à morte, à qua detineri non potuit, iuſtitiã ſuã, qua iuſtus eſt, tunc oſtenderet, vt qui nõ per vim, vt quidem poterat, ſed iuſto iudicio nos liberauit, & rurſus in hoc tempore, ſiue hodie, ideſt, quandiu ſumus, gratiam ſuam iuſtificantem oſtenderet in nobis non ex fide tantum, etenim ſi fides ſine operibus, vt ſcriptura teſtatur, oſtendi non poteſt, ex operibus autem poteſt, ſequitur, vt ſi iuſtitiam Deus ex fide oſtendit in nobis in hoc tempore, ex operibus oſtendat, & non ex fide tantum. Rurſus ſi neceſſe eſt, vt quod credimus non verbo tantum, quod hypocritarum, & ſimulatorum eſt, ſed opere oſtendamus, fidem vero Ieſu Chriſti pro nobis mortui, & ſuſcitati opere oſtendere aliter non poſſumus, niſi credentes complantemur ſimilitudini mortis eius, conſepulti ſicut Apoſtolus ait, cum illo per baptiſmum in mortem, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Oſtendit ergo in nobis Deus in hoc tempore iuſtitiam non quidem ex fide tantum, quæ obſcura, & otioſa eſt, vt iſta Luteranorum, ſed ex fide primũ quidẽ in baptiſmo operata, deinceps vero operibus nouę vitæ per dilectionem oſtẽſa, & operata, perpetuo enim vult nos ambulare in nouitate vitæ, vt ſic mortis, & reſurrectionis eius participes vſque in finem efficiamur. Præterea videte (inquit Apoſtolus) ne forte ſit in aliquo veſtrum cor prauum incredulitatis diſcedẽdi à Deo viuo. dehortatur ab omni peccato maiore, quod animam à Deo diſiungat, quod ipſum ad incredulitatem quodammodo pertineat, qui enim vere, & ſimpliciter credit, fidem per dilectionem operatur, fides autem per dilectionem operata in Chriſto valet, ideſt, iuſtificat, & cum Deo vnit. contra vero qui fidem non operatur, non credit ſimpliciter, & proprie, eſtque à Deo alienus. Sequitur, ſed adhortamini vos metipſos per ſingulos dies, donec hodie cognominatur, & non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. peccatum dixit cum articulo, fallaciam vero ſine articulo, ſicut incredulitatẽ, vt omnẽ fallaciã, & omnẽ incredulitatem peccati grauioris intelligamus. Itaque quã vocauit proxime prauitatem incredulitatis, vocat nunc fallaciam peccati, vt intelligamus de omni peccato mortali loqui, quod ſcriptura vocare ſolet peccatum recedendi à Deo, vt hic, & alias peccatum damnationis, & peccatum magnum. quod enim Dauid dixit de concupiſcentiis

propriis occultis,& insitis carni, ac de suggestionibus alicuius extrinsecus ab eo, qui tentare solet, allatis,& adhibitis, si mihi ista dominata non fuerint, idest, si non assentiamur illis volendo ambulare secundum carnem, sicut Apost. ait, tunc (inquit) immaculatus ero, idest, expers peccati non quidem cuiuscunque tum parui, tum magni, sed magni saltem, idcirco subiungit,& emundabor à peccato magno, neque enim necesse est, vt qui non consentit legi carnis, quæ habitat in membris nostris, neque suggestioni dæmonis, statim vacet omni culpa etiam leui, cum possit culpa esse ex negligentia nostra in surreptione etiam primi motus legis carnis, siue concupiscentiæ, ac suggestionis. Similiter Apostolus, postquam docuit gratia Dei per Iesum Christum liberatos nos esse à concupiscentiis, ne amplius captiuos ducant, subiungit, nihil ergo nunc damnationis iis, qui sunt in Christo Iesu, qui nō secundū carnem ambulant, quod perinde est, quasi diceret, nunc ergo post gratiam Christi, de qua prophetabat Dauid, si concupiscentiæ οἰκονομικῶς relictæ, nobis dominatæ non fuerint, quod est non ambulare secundum carnem, idest, secundum concupiscentias, nihil erit damnationis nobis, idest, erimus mundi à peccato magno, quod enim Dauid dixit peccatum magnum, interpretatus est Apost. peccatum damnatione dignum. Sed redeamus ad locum Pauli ex epist. ad Heb. sequitur, participes enim Christi effecti sumus, si tamē initium substantiæ vsq; ad finem firmum retineamus, quia dixerat, videte, ne forte sit in aliquo vestrū cor prauū incredulitatis recedendi à Deo viuo, ne quis existimaret, vt existimant Luterani, satis esse, vt nō recedatur à Deo, habere fidem præsertim sigillo baptismi signatam, in quo Christū induimus, & mors eius, ac resurrectio nobiscum cōmunicata est, respondet esse quidem nos factos per baptismum participes Christi, si tamen (inquit) initium substantiæ vsq; ad finem firmum retineamus, idest, si vt à principio renouati sumus,& effecti noua creatura in Christo, deinceps vsq; in finem in nouitate creaturæ perseueremus. quod enim Paulus initium substantiæ vocauit hic, Iacobus dixit initium creaturæ. voluntarie (inquit) nos genuit verbo veritatis, de generatione spirituali per sanctū baptismū loquitur, deinde subiungit, vt simus initiū aliquod creaturę, sic enim est in exemplis vetustis manu scriptis ἀρχὴν nō ἀπαρχὴν vt in nostris græcis, melius enim est in latinis. Ergo vt simus participes Christi, idest, vt mors eius,& satisfactio, ac resurrectio nobiscū cōmunicetur, non satis est fides tantum, quæ non est initium nouæ in Christo creaturæ, sed

fides cum opere baptiſmi, ſiue fides in baptiſmo per donum dile-ctionis operata. quam quidem fidem vſque in finem firmam ſer-uare oportet, ſi ſeruare velimus vſq; in finem mortis, & ſatisfactio-nis Chriſti pro nobis participationem, firmam vero ſeruabimus, ſi illam in mandatis reliquis per dilectionem operemur, vt à prin-cipio in mandato baptiſmi operati ſumus. operatio enim fidei fidẽ firmat, & ſtabilit, vt operatio ſcientiæ ſcientiam, & artis artem. Ergo qui ambulat in nouitate vitæ, quicq; ſi quando lapſus fuerit, rurſus renouatur per poenitentiam, quæ vt Clemens ait, eſt κατόρθωμα τῆς πίστεως, ideſt, opus excellens fidei, is initium ſuſtantiæ firmum re-tinet, & particeps Chriſti eſt, ideſt, retinet fidem dilectione operatã, qua coepit eſſe noua in Chriſto creatura. nam in Chriſto Ieſu (in-quit) neque circuncиſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides quæ per dilectionem operatur. & rurſus ait, nam in Chriſto Ieſu neque circunciſio aliquid valet, neque præputium, ſed noua crea-tura, quòd ſuſtantia nouæ creaturæ ex fide per dilectionem opera-ta exiſtat, huiuſmodi ego fides per dilectionem operata fides vera, & legitima, ac probata eſt, cetera omnis ἀδόκιμος eſt, & adulterina, eſſe enim fidem aliquam ἀδόκιμον, ideſt, reprobam, vt ita dicam, do-cet Iacobus Apoſtolus, cum ait, τὸ δοκίμιον τῆς πίστεως ὑμῶν, ideſt, probatio fidei veſtræ, legitima inquam, & probata fides veſtra pa-tientiam (inquit) operatur, ergo aliqua eſt non legitima, ſed adulte-rina, illa ſcilicet, quæ expers eſt charitatis, quæ ideo non operatur patientiam in tribulationibus, quas quicunq; pie viuere volunt, in Chriſto pati debent. per quas intrare oportet in regnum coelorũ, in his enim eſt anguſta porta, & arcta via, quæ ad illud ducit, in his conſiſtit diſciplina, ſub qua ſunt filii legitimi, denique in his per abſtinentiam, & patientiam tolerandis implenda eſt, vt diximus, ſa-tisfactio illa pro peccatis in Chriſto facta. Sed videamus quemad-modum non operetur patientiam iſta fides, quæ eſt ſine, & ante di-lectionem, ſed illa, quæ p dilectionem mouetur, & agitatur, omne (inquit) gaudium exiſtimate fratres, cum in varias tentationes inci-deritis, ſcientes quòd probatio fidei veſtrę, nempe in tentationibus, patientiam operatur, hoc idem dixit aliàs Apoſt. licet obſcurius, tribulatio (inquit) ſiue tentatio patientiam operatur, pro eo, quod eſt, fides legitima, & probata in tentationibus patientiam operatur, ſed quæ ſit legitima fides in tentationibus, idem Apoſtolus Paulus declarat ſubiungens connexionem virtutum, ſequitur enim patien tia probationem, ſcilicet fidei, ita vt probatio fidei, ſiue fides proba-

ta pa-

ta patientiam operetur, vt Iacobus ait, & rursus patientia proba-tionem fidei, siue fidem probatam, vt Paulus. sunt enim aliqua vi-cissim non quidem sui causa, quod fieri non potest, sed sunt vicissim sibi causa vel augendi se, vt hæc, vel connexionis, & cohærentiæ, vt virtutes, & lapides in fornice, sicut tradunt philosophi, & Clem. Alexan. in 8. Stromateo de causis. Sequitur deinde, probatio spē, fides enim vera, & probata spem gignit, spes autem nō confundit, postea subiungit Apostolus, quia charitas Dei diffusa est in cordi-bus nostris, quodquidem ad totam superiorem connexionem refe rendum est, vt intelligamus quæ, & qualis fides in tribulationibus, & tentationibus operetur patientiam, & patientia probationem, & probatio spem, quæ non confundat, nempe illa fides, quæ cum charitate tanquam cum forma, & vita, & actu suo coniuncta, & cō-nexa est, qui enim vere credit ex corde, idest, cum dilectione, quòd qui suscitauit Iesum, & nos cum illo suscitabit, is profecto non defi ciet in tribulationibus, & tentationibus, sicut Apostolus ait, & nos credimus propter quod & loquimur, scientesq́ quoniam qui suscita uit Iesum, & nos cum Iesu suscitabit, deinde subiungitq́, propter quod non deficimus. hanc igitur fidem cum charitate connexam appellauit Iacob. Apost. δοκίμιον fidei, idest, probatam, & legitimā, fidē, quæ patientiam operatur, vt sit ἀδόκιμος, idest, reproba, quæ si ne, & ante charitatem est, quæ neq; operatur, neq; operari potest, non magis q̄ mortuus, ex quo idem appellauit mortuam, fides (in-quit) sine operibus mortua est, cum enim opera dicit, charitatem dicit, quæ est virtus operandi quicquid Deus vult, & præcipit, quā fides adiuuat ad iustitiam, sicut idem Apostolus Iacob. de iustitia Abraæ loquens, vides (inquit) quòd fides adiuuabat opera illius? hoc enim significat συνήργει τοῖς ἔργοις αὐτοῦ, quod interpres ver-tit, cooperabatur operibus illius, quid autem operabatur cum ope ribus illius tanquam causa adiuuans cum causa adiuuante, quod si-gnificat συνεργεῖν, quid inquam, nisi iustitiam Abraæ? de hac enim loquebatur, vt iam perinde sit hoc, quasi dixisset, vt Paulus de Phi-lipp. scripsit, vides quòd Abraam operādo collaborabat fidei? Sed isti neque naturas rerum, neque proprietates verborum, neq; con-sequentia, nec antecedentia aduertunt erroris sui opinione præ-iudicata decepti, & illusi, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, sed illud interim non male, ꝙ quidam eoꝝ dixerunt, fidem istam mortuam fidem historiæ esse, talis enim est ista fides nuda, hoc est, fides tantū, ante operationem enim fidei

per dilectionem auditores tantum sunt historiæ, cui credunt fallentes semet metipsos, sicuidem Apostolus ait, quasi hoc ad iustitiam satis sit. Sed veniamus iam ad aliam connexionem virtutum, quam docuit beatus Pet. ex qua etiam clarissime (vt confido) intelligent Luterani fidem sine operatione per dilectionem non iustificare. vos (inquit) curam omnem subinferentes ministrate in fide vestra virtutem, in virtute scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate aũt amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Videtis fratres quemadmodum necessitate connexionis ad fidem iubeat adiungere charitatem, & opera charitatis? quæ si non adiungantur, nihil valeat fides, neque iustificare possit? sequitur enim, hæc enim si vobis cum adsint, & abundent, non vacuos, neq; sine fructu vos constituent, sine fructu inquam iustitiæ, sicut ait Apostolus Paulus Philipp. 1. hoc oro, vt charitas vestra magis, ac magis abundet in scientia, & in omni sensu, vt probetis potiora, vt sitis sinceri, & sine offensa in diem Christi repleti fructu iustitiæ. De hoc ergo fructu dicit nunc Petrus, non constituent (inquit) sine fructu in agnitione domini nostri Iesu Christi, sic vocat fidem, hoc enim significat ἐπίγνωσις, idest agnitio, vt Ioan. Damasc. in Oplotheca aduersus Monophysitas obseruauit, interpretans enim obscuriora quædã scripturæ verba ἐπίγνωσις (inquit) ἡ μετὰ ψευδῆ γνῶσιν ἐστὶ γινομένη ἀληθὴς γνῶσις. idest, agnitio est vera post falsam cognitionẽ, cognitio, hæc aũt quæ alia est, nisi fides? perinde itaque est, quasi diceret, si adiungas ad fidem opera ex dilectione tanq̃ causam adiuuãtem, non eris sine fructu iustitiæ, idest, iustificaberis. Ergo fides sine, & ante opera, idest, sine, & ante charitatem, non præstat fructũ iustitiæ, ἀδόκιμος est, mortua est. qui nos solent sophistas appellare, iudicent ipsi vtrum ex hac ratione connexionis virtutum clarissime, & necessario quod dicimus, concludatur. ad fidem iubet adiungere virtutem, quæ quidem qualis esse debeat, scientia docere debet vt probetur (sicut Apost ait) quæ sit voluntas bona, beneplacens, & perfecta, vt qui puellam pauperem alat, vt ea cum grandis fuerit, fruatur, q̃ alit bonum est, inquit Dorotheus in libro de ædificatione virtutum Sed quód eo proposito alit, Deo non placet, aut si nõ eo proposito alat, sed propter charitatem, simul etiam vt aliquid gloriæ, & laudis ab hominibus ferat, bona. & Deo placens est, sed non perfecta voluntas. Idcirco addidit, & in virtute scientiam, sequitur deinde, in scientia autem abstinentiam, esto enim sit munus

actionis, quod facis, scienter factum, & ex omni parte absolutum, nihilq; in eo desideretur, quod ad actionem ipsam spectet, excepto, q; qui id facit, testimonio bonæ conscientiæ caret, nihil iam isti scientia ista proderit, quia ad istam scientiam non adhibet suam innocentiam, vt abstineat à voluntatibus carnis, ab ira, odio, inflatione, æmulatione, auaritia, & reliquis vitiis, rursus quid prodest fratres, si abstineat ab his, deficiat tamen, neque expectet per patientiã exitum? aut quid etiam proderit patientia ista constans, si non propter Deum patiatur, & sustineat ista, sed alia ratione, & causa? aut quid etiam pietas ista proderit, & Dei religio, si interim fratres, & amicos oderit, sit in eos, amarus, & acerbus? vt in nonnullis euenire solet, quorum religio non sit munda, vt beatus Iacobus eam religionem Dei appellauit, quæ cum charitate cõiuncta est. Postremo quid proderit ista in fratres, idest, in eos, qui eodem nobiscum spiritu Dei per baptismum nati sunt, in domesticos inquam fidei, vt Paulus ait, & in amicos beneuolentia, & charitas, quam φιλαδέλφιαν idest, charitatẽ fraternitatis vocat scriptura, si in ceteros alios durus sit, & seuus, atque inhumanus? Idcirco postremo loco addidit, in amore aũt fraternitatis charitatem. Iam ne vident isti, quemadmodum perducta sit totius ædificii spiritualis ratio, & consumatio ad charitatem, quæ ideo est, sicut Apostolus ait, vinculum perfectionis? quæ instar tecti omnia continet? quæ operit, sicut scriptum est, multitudinem peccatorum, seq; ad omnia tendit? hoc enim significat, quod idem Petrus 1.c.1. dixit, in fraternitatis amore simplici ex corde inuicem diligentes ἐκτενῶς, idest, extente; significat enim ad charitatem erga fratres, & domesticos fidei adiungendam esse charitatem in oẽs tũ bonos tum malos, fideles, & infideles exemplo eius, qui passus est pro iniustis, & peccatoribus, & qui solem suũ oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos. Hæc ergo est charitas, quæ non æmulatur, nõ inflatur, non est ambitiosa, non quærit, quæ sunt sua, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, sed potius ab omnibus se abstinet patiens est, omnia suffert, non agit perperam, sed potius constans est, περπερεύεσθαι enim dictum est, quasi περιφέρεσθαι, idest, circumferri, omnia credit, quæ credenda sunt, omnia sperat, quæ speranda, neque enim à fide, aut spe diuelli potest. hæc ergo fides firma, quæ cum charitate copulata est, quam Paulus dixit fidem per dilectionem operatam, hominem iustificat, hæc enim est, quam idem Petrus paulo supra vocauit fidem ἰσότιμ

μον ἐν δικαιοσύνῃ, idest, æqualis honoris in iustitia, quia honoret, & remuneret credentem iustificando eum, ita vt, qui talem fidem nõ habeat, qualem habere præcipit, idest, sic cum virtute, & dilectione connexam, is fidem æqualis honoris in iustitia, idest, fidem iustificantem non habeat. Sed videamus quid rursus idem princeps Apostolorum Petrus subiunxerit, quo magis adhuc, quod dixerat, confirmaret, cui enim (inquit) non præsto sunt hæc, coecus est, & manu tentans, obliuionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum. Igitur si is, qui sine operibus, & ante opera fidem habet, coecus est, sequitur, vt fides sola Iesu Christi nõ afferat animæ vllo modo lumen iustitiæ, alioqui coecus non esset. coecum itaq; appellat eũ, qui quia ad fidem non adiungit charitatem, & charitatis opera, ideo non admittit lumen iustitiæ, quin potius volens depellit illud, velut oculos animæ claudens, hoc enim significat verbum, μυωπάζειν. rursus qui lumen istud iustitiæ fidei, & operũ adiuuantium non admittit, frustra illuminatus est per baptismum, tunc cum ablutus est, & repurgatus à veteribus suis peccatis, quæ Paulus appellauit præcedentia delicta Rom. 3. Idcirco subiungit obliuionem accipiens purgationis veterum suorum delictorũ, sic enim vocat baptismum, quo baptizati sumus in mortem Christi, & abluti, ac conuificati, cuius quidem ille oblitus est, qui mortificationem Iesu Christi, & vitam eius non ostendit in corpore suo, ambulando in nouitate vitæ, sicut nouæ creaturæ conuenit. Quemadmodum ergo sola fides iustificat, si qui eam solam sine operibus, & ante opera, vt isti, habet, is baptismi, & iustitiæ in eo acceptæ oblitus dicitur? Sed volunt isti rursus videre, quòd ex charitate iustificetur homo, & non ex fide? 'a! nonne Dauid ait prædicans beatitudinem eius, cui dominus imputat iustitiam sine operibus legis, beati quorum tecta sunt peccata? at de charitate dictum est, charitas operit multitudinem peccatorum, vt iam quod Dauid ait, beatos esse, quorũ tecta sunt peccata, perinde sit quasi diceret, beatos esse, q habent charitatẽ, quæ opit multitudinẽ peccatorũ, quia charitas imputetur eis ad iustitiã, cuius ꝓpria virtus sit remissio peccatorũ. Ergo si isti noui magistri, boni architecti essent, ac nõ potius carnales, cũ charitate vinculo perfectionis ceteras oẽs virtutes cõnectere deberẽt, & hac virtute reliquas consumare, & perficere, ac sine ea, & ante eã nullos fructus iustitiæ ex sola fide sperare, sup quã tanq̃ sup fundamentũ carnale, nihil nisi quod carnale est, ędificare possunt.

Quòd gratia iustificans in eo sit, qui iustificatur.

HActenus de satisfactione Christi pro peccatis nostris, quibus proficiat, & qua ratione, quem locũ cũ male intelligerent Lutherani, facile iustitiam istam suam imputatiuam, & passiuam, vt loquũtur, introduxerunt, tradentes gratiam iustificantem non in nobis esse, sed in Christo tantum, vt si in nobis non sit iustitia ista, neque curemus, vt in nobis sint opera iustitiæ digna, quasi solus Christus pro nobis satisfecerit, nihil à nobis requirens amplius præter fidẽ, ψιλῶ. & quasi solus sine nobis salutem nostram meruerit, qui iustitiam suam nobis imputet. Sed vtrum in nobis sit iustitia, qua iusti sumus, ne omnes scripturas excutiamus, ex paucis locis Pauli intelligere possent, si voces Apostoli, & virtutem earum non ignorarent. Scimus (inquit Apostolus) ꝙ diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, deinde subiungit, iis. qui secundum propositũ vocati sunt sancti. declarat quos dicat diligentes Deum, quibus omnia cooperentur in bonum, eos scilicet, qui vsque in finem constanter permanent in dilectione, hi enim sunt prædestinati ad sanctificationem, & vocati ad eã suo tempore, cum placuit ei, qui prædestinauit. Deinde subiungit, quos enim præcognouit, scilicet diligentes Deum, de his namq; loquebatur, hos prædestinauit cõformes fieri imagini filii sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos hic ait prædestinatos conformes fieri imagini filii Dei, idem Apostolus in epistola ad Ephe. dixit prędestinari in adoptionem filiorum Dei, adoptamur enim in filios Dei, quando renascimur ex spiritus sancti semine incurruptibili, quod in eo manet, qui natus est ex Deo, vt Ioan. ait. Accipientes itaque spiritum filii Dei viui per lauacrum regenerationis, efficimur, & fratres Christi, si quis enim spiritum Christi non habet, hic non est Christi, neque particeps diuinæ naturæ, etenim si satis esset, ait Athan. in thesauro de Trinitate ad Nemesinum, esse ad imaginem Dei absque participatione spiritus sancti, omnes essemus Christi, etiam expertes spiritus sancti, igitur perfectam (inquit) conformationem ad diuinam naturam tribuit homini spiritus sancti participatio. Sed videamus, quid Apostolus subiungat, quos prædestinauit conformes fieri imagini filii sui, hos (inquit) & vocauit, idest, adduxit ad gratiã istam adoptionis, & participationis spiritus sancti, ac consortii diuinæ naturæ. habet enim prædestinatio, vt magnus Diony. ait, vim ποιητικὴν, idest, efficiendi virtutem. rursus subiungit, quos autem

vocauit ad istam scilicet spiritus sancti participationem, hos & iustificauit si ergo ii sunt filii Dei, in quibus manet semen incorruptibile, & iidem sunt iusti, in quibus est idem spiritus Dei, quomodo in quibus est per participationem spiritus Dei, non est in eisdem iustitia ipsa, siue gratia iustificans per participationem eiusdem spiritus iustificantis, & non per istam, quam fingunt nouam imputationem iustitiæ Christi? Rursus idem Athan. in eodem opere per solum (inquit) spiritum formatur Christus in nobis καὶ ὥσπερ ἰδίους χαρακτῆρας ἐντίθησι ἀναμορφῶν εἰς τὸ τῆς θεότητος κάλλος τὴν ἀνθρώπου φύσιν, idest, & proprios characteres imponit reformans naturam hominis ad diuinitatis pulchritudinem, hoc autem cum fit, homo iustificatur. est enim iustitia proprius character spiritus sancti, Iustitia ergo, qua iustificamur, nõ in Christo, sed in nobis est. Item beatus Cyrill. in comment. Esa. 44. explanans illum locum, formaui te puerum meum, sic enim est apud septuaginta, quod quidem iis dicit, quos sanctificauit, & iustificauit, & explanans obiter illum locum Apostoli, donec Christus formetur in nobis, formatur (inq̃t) ἐνιέντος ἡμῖν τοῦ ἁγίου πνεύματος θείαν τινὰ μόρφωσιν δι᾽ ἁγιασμοῦ καὶ δικαιοσύνης. idest, formatur inquit, immittẽte spiritu sancto in animas nostras diuinam quandam formam per sanctificationem, & iustificationem, sic enim diffinisse mihi videtur gratiam iustificantem. Item Apostolus in epistola ad Ephe. in quo (inquit) credentes signati estis spiritu promissionis sancto, spiritum promissionis sanctum vocat gratiam spiritus sancti iustificantem, à Deo credentibus in Christum cum spe certissima promissam, sicut dicit scriptura, omnis qui credit in illum nõ confundetur, quod nihil aliud significat, quàm promitti iustitiam ex fide in salutem certissimam, quòd si gratia iustificante signatus est is, qui iustificatus est, sequitur, vt iustitia ista in eo sit, qui iustificatur, non in Christo, qui iustificat, nemo enim signatur eo, quod est in eo, qui signat, sed potius eo, quod est in eo ipso, qui signatur. Subiungit deinde Apost. qui est pignus hereditatis nostræ in redemptionem acquisitionis in laudẽ gloriç eius. Quòd spiritũ promissionis sanctum, idest, gratiam iustificantem credentibus promissam vocat arrabonem, siue pignus hæreditatis nostræ, conuenit cum parab. euangelii de operariis vineę vbi eandem gratiam iustificantem, denarium diurnum vocat, vt alio loco commodius demonstrabimus. Rursus idem Athanasius in eodem thesauro explanans hunc locum, spiritu (inquit) sancto signati ad imaginem Dei reformamur, per quem diuinæ substã-

tiæ imago ἐγχαράττεται ἡμῖν, ideſt, imprimitur nobis, καὶ τῆς ἀγεννήτου φύσεως ἐναπομένει σήμαντρα, ideſt, & ingenitæ naturæ remanent in nobis ſigilla, & notæ. hæc ſunt magna illa, & prætioſa promiſſa, vt beatus Petrus ait, quæ donauit nobis Deus ex fide in virtutibus ſanctis operata. explicans enim deinde, quæ illa eſſent magna, & prætioſa promiſſa, ſubiungit, vt per hæc efficiamur diuinæ naturæ conſortes. tales autem efficimur per iuſtificationem copioſam, quæ eſt larga participatio ſpiritus ſancti nobis in nouo teſtamento promiſſi, & in nos abundé effuſi. quomodo ergo dicunt noſtram iuſtitiam, ideſt noſtram participationem ſpiritus ſancti, & noſtrum iſtud conſortium diuinæ naturæ, in Chriſto, qui hæc nobiſcum cõmunicat, eſſe, ac nõ potius in nobis, qui participamus, & cõſortes efficimur? Sed videamus quid paulo poſt idem Athanaſius de ſpiritu ſancto dicat, qui ab eo participatur, qui iuſtificatur, ὥσπερ κηρῷ τινι ἐν ταῖς καρδίαις τῶν δεχομένων δίκην σφραγίδος ἀοράτως ἐνθλίβεται διὰ τῆς πρὸς αὐτὸ κοινωνίας καὶ ὁμοιώσεως εἰς τὸ ἀρχέτυπον κάλλος τὴν φύσιν ἀναζωγραφοῦν, tãquam in cera (inquit) quadã in cordibus recipientiũ inſtar ſigilli imprimitur ſpiritus ſanctus inuiſibiliter p cõmunionẽ, & aſſimilationẽ cũ eodẽ ſpiritu ſancto, qui naturam ad primi exemplaris pulchritudinem reformat. quod ſi participatio iſta, & communio ſpiritus ſancti in nobis eſt, & ſecundum hanc participationem, ac communionem iuſtitiã animis noſtris gratis, ac dono Dei informatur, iuſtitia ergo, qua iuſtificamur, in nobis eſt. Item Apoſtolus interpretans quod de Abraam ſcriptum eſt, credidit, & reputatum eſt ei ad iuſtiam, non eſt (inquit) ſcriptum tantum propter eum, quia reputatum eſt ad iuſtitiam, ſed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui ſuſcitauit Ieſum dominum noſtrum à mortuis, qui traditus eſt propter noſtra delicta, & reſurrexit propter noſtram iuſtificationem, deinde ſubiungit, iuſtificati ergo ex fide, pacem habemus ad Deum per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem habemus acceſſũm ad gratiam iſtam, gratiam iuſtificantem dicit, quæ habet vim vniendi animam, in qua eſt, cum Deo, quam quidem vnionem pacem vocat, eſt enim pax, vt ait magnus Dionyſius, πάντων ἑνωτική, id eſt, omnium vnitiua, hanc veram pacem, & vnionem fecit Chriſtus in nobis, reconcilians nos ſibi in ſpiritu ſancto, & in ſe, & per ſe patri, ex quo pax noſtra, vt iuſtitia noſtra factus dicitur. hac enim pace in nos per Chriſtum effuſa, vt Diony. ait, non amplius diſcimus nobiſcum, & cum angelis diſſidere, quin potius pro

viribus diuina opera cum eisdem cooperamur secundum prouidē tiam Iesu omnia in omnibus operantis, & pacem inexplicabilem, & à sæculo prædestinatam facientis, nosq; sibi in spiritu sancto reconciliantis. de quibus donis excellentissimis, ac supra naturam, satis se copiose in theologicis informationibus scripsisse ait, confirmans omnia testimoniis scripturæ sanctæ. hæc dona excellentissima, & supra naturam, quæ Diony. ait, sunt illa, vt paulo ante memini, quæ beatus Petrus dixit, magna, & prætiosa promissa, quæ omnia consistunt in participatione spiritus sancti, quæ est consortium diuinæ naturæ Secundum hanc participationem spiritus sancti effusam in animas nostras fit adoptio, remissio peccatorū, salus animæ, quæ est vnio cum Deo, & tribuitur hæreditas regni, quæ sunt omnia iustitiæ propria, quam iuste Deus per gratiam suam ex fide per dilectionem operata effudit in nos abunde. Quæso ergo istos, erit in nobis spiritus sanctus per participationem, & non erit iustitia ista Dei, cum iustitia ipsa excellens quædam participatio spiritus sancti sit? fuerit Christus factus pax nostra, effundens eam in animas nostras, & non fuerit, sicut ait eadem scriptura, factus similiter iustitia nostra, effundens illam similiter in corda nostra? Sed veniamus ad Abraam, de cuius iustificatione quod scriptum est, propter nos ait Apostolus scriptum esse, quibus similiter reputabitur ad iustitiam credentibus in Christum. vt enim postquam reputatum est illi ad iustitiam, tunc primum scriptura Gen. c. 18. vocat eum appropinquantem Deo, vt Philon quoque Iudæus in libro de migratione Abraæ obseruauit, quod beatus Iacobus frater domini interpretans ait amicum Dei appellatū esse, amici enim est appropinquare amico, similiter Apostolus de iustificatis, iustificati ergo inquit per fidem, pacem habemus cum Deo, idest, vnionem, est enim vnio maxima appropinquatio, & maxima amicitia, quā nos per Christum consecuti sumus, ac copiosius quidem quàm ceteri omnes ante euangelium. Quare vt iustitia ex fide per dilectionem operata, quæ Abraæ imputata est, quæ ipsa quoque diuina erat, & non in Deo, quod scio istos non negaturos, nondum enim Deus pro delictis hominum satisfecerat, vt ratione satisfactionis iustitia Abraæ in Deo esset, vt isti nunc de iustitia Christi pro nobis mortui tradunt, sic quoq; iustitia, qua nos ipsi in nouo testamēto ex fide per dilectionem operata iustificamur, non in Christo est, sed in nobis. Quod enim de imputatione iustitiæ facta Abraæ scriptum est, non tantum propter eum (vt Apostolus ait) scriptum, sed prop

pter nos, ex quo fit, vt iustitia non alio modo imputata sit Abrae, & alio modo nobis imputetur, licet abundantius imputetur, vt idē Apostolus in epistola ad Titum docuit, cum autem (inquit) benignitas, & humanitas apparuit saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis spiritus sancti, deinde subiungit, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum saluatorem nostrum, vt autem intelligeremus secundum largam istam participationem spiritus in nos effusi, iustitiam Dei abundanter in nos effundi, & in nobis manere, subiungit statim, vt iustificati per gratiā ipsius spem habeamus vitæ æternæ. iustificati enim ante nouum testamentum habebant illi quidem spem vitæ æternæ, sed nō qualem nos habemus per Christum, in cuius mortem baptizamur, illi enim habebant spem quandam mortuam, cū necesse esset omnes in infernum descendere, & in locum caliginis, vt de se ait sanctus Iob, cum nōdum deletum esset per mortē Christi chyrographum decreti, quod contra nos erat sancitum de morte omnibus subeunda, iuxta sententiam Dei, sicut scriptum erat, quacunque hora comedetis morte moriemini, ac proinde nō dum Christus propter largam istam iustificationem resurrexisset, nos vero habemus spem viuam, sicut beatus Petrus ait, benedictus Deus, & pater domini nostri Iesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem viuam per resurrectionem Iesu Christi. qui enim semel in Christo mortui sunt, & cum eo resurrexerunt, in his secunda mors, sicut beatus Ioannes ait, non habet potestatem, idest, non amplius moriuntur descēsuri in infernū, si tamen initium substantiæ eius (vt Apostolus ait) vsque in finem firmum retineant, idest si gratiam, qua coeperunt esse noua creatura in Christo, vsque ad extremum vitæ conseruauerint. Rursus idē Apostolus Rom. 5. si enim (inquit) vnius delicto mors regnauit p vnum, multo magis abundantiam gratiæ, doni, & iustitiæ accipientes in vita regnabunt per vnum Iesum Christum. accipientes dixit abundantiam gratiæ, doni, & iustitiæ, quare vt gratia, & donum ab eo descendunt, à quo donantur, ad eum, cui donantur, & gratia in gratificato, & donum in donato remanet, sic iustitia in iustificato. Illud autem obseruandum est, quam dixit Apostolus abundantiam spiritus in nos effusi in epistola ad Titum, dixisse in epistola ad Rom. abundantiam iustitiæ per gratiam donatæ, hoc enim significat abundantia gratiæ, doni, & iustitiæ. quæ quidem abundan-

tia in eo est intelligenda, vt hoc rursus obiter admoneamus, ꝙ ante gratiam noui testamenti omnes propter vnum peccatum, quod omnes in Adam peccauerunt, in inferno detinebantur in nouo autem testamento peccata omnia remittuntur, sicut Apostolus ait, nam iudicium quidem ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem, cum enim ait iudicium ex vno in condemnationem, peccatum originale dicit, quod ante aduentum Christi non tollebatur, regnauit enim (inquit) mors ab Adam vsque ad Moisem, etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ, idest, in eos etiam, qui non peccauerunt actu, & per personas proprias, vt autem intelligeremus in quibus regnasset mors, in eisdem regnasse etiam peccatum vsq; ad Moisem, idest, vsq; ad finem legis, addidit paulo post, idem Apost. vt sicut regnauit peccatũ nempe vsque ad Moisem in mortem, quæ quidem erat fructus peccati, ita regnet gratia per iustitiam in vitam æternam. Sed hoc, quod de peccato originali dixi, prolixius in opere proprio pluribus, eisdemq; clarissimis scripturæ sanctæ testimoniis demonstrabimus, illud tantum interim admonebo, ne quis fortasse miretur, aut me opinionis huius auctorem existimet, primũ veteres patres, & ecclesiæ catholicæ magistros hoc docuisse, scilicet sanctos prophetas, tametsi secundum Iesum Christum viuerent, vt ait beatus Ignatius in epistola ad Magnesien. & ad nouum testamẽtum pertinerẽt, tanquam per Christum redimendi, tamen ante gratiam noui testamenti non fuisse vere benedictos, neq; fuisse plenã cõsecutos remissionẽ, neq; legem cũ Deo illos omnino copulasse. deinde vero nominatim de originali peccato plerosq; eorum tradidisse, ante aduentum Christi non fuisse vnquam deletum, quorum testimonia in opere proprio recitabimus. Ergo nunc, vt vnde digressi sumus, reuertamur, postquam dixit Apostolus multo magis abundantiam gratiæ, doni, & iustitiæ accipientes in vita regnabunt per vnum Iesum Christum, qui locus, vt dixi, satis declarat, gratiã qua gratificauit nos Deus in delecto filio suo, & donum, quo donamur, & iustitiam, qua iustificamur, in nobis esse, subiungit, igitur sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitę, hic locus, vt existimo, in primis fefellit Luteranos, & in errorem istius de iustitia Christi imputata opinionis propter ignorantiam induxit, cum enim ait sic, & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem, existimarunt eandem iustitiam dici cum illa, quã proxime meminisset Apostolus, cum dixit, abundantiam iustitiæ acci-

pientes, non animaduertentes aliud esse verbum græcum, quod satis admonere debuit aliam esse rem alio verbo subiectam, vel certe quod magis credo non intelligentes, quid δικαίωμα, quod est hoc loco scriptum, significaret, & quid δικαιοσύνη quod in illo. significat enim δικαίωμα, vt supra iterum dixi τὸ ἐπανόρθωμα τοῦ ἀδικήματος, vt veteres interpretati sunt, idest, iniuriæ emendationem, quæ satisfactio dici solet, hanc satisfactionem vnus Christus fecit semel in cruce pro nobis moriens iustus pro iniustis, & peccatoribus, quæ satisfactio eis tantum proficit, qui ei credunt, & fidem eius per dilectionem in baptismo, & deinceps in ceteris mandatis operantur, sicut scriptum est, & consumatus factus est omnibus obtēperantibus causa salutis æternæ, obtemperantibus dixit, idest, obedientiam cum fide iungentibus. Est ergo ista Christi satisfactio, quæ δικαίωμα dicitur, causa iustitiæ nostræ, quæ in nobis est ab eodem per gratiam eius donata ex fide per dilectionem operata, et in animas nostras infusa, cuius iustitiæ propria est remissio peccatorum, & salus animæ, quæ in nobis quoque sunt. sic autem accipiēdum esse verbum δικαίωμα, quod interpres vertit iustitiam Christi, idem Apostolus declarauit, statim enim subiungit, sicut enim ꝑ inobedientiā vnius hominis peccatores constituti sunt multi, quod dixerat per vnius iustitiam, dicit modo per vnius obedientiam scilicet vsque ad mortem crucis, ita vt sustinuisse mortem pro nobis sit & dicatur tum δικαίωμα, idest, satisfactio, tum δικαιοσύνη, idest, iustitia. quia scilicet liberauit nos, & destruxit imperium diaboli non ꝑ violentiam, vt ait Esa. sed in iudicio, & iustitia satisfaciendo ꝑ mortem suam pro nobis ad mortem iuste prius damnatis, vt sit ipse iustus, & iustificans eum, qui ex Christi fide est, vt Apostolus ait, qui locus plane distinguit vtranque iustitiā, & illam, quæ in Christo est, qua ipse est iustus & illam, quæ in nobis est ex fide, sicut ipsa fides in nobis est Dei dono. Sed repetamus locum altius, quem proposuit (inquit) propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissionem præcedentim delictorū in sustinētia Dei, hæc est iustitia, qua ipse iustus est, qui, vt magnus Dionysius ait. sustinuit patienter genus humanum à Deo alienatū, & diabolo seruiens, quousque liberaret à diaboli seruitute non quidem per vim, sed moriendo pro nobis, qui peccatum non fecerat, quæ fuit ingens, admirabilis declaratio iustitiæ Christi, deinde subiungit iterum, ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore, idest, in nobis, hęc est iustitia, qua iustificat, quę alia est ab illa, qua ipse iustus

est, quod statim declarat subiungens, vt sit ipse iustus, & iustificãs eum, qui ex fide Christi est. etenim si iustitia, qua quis iustificatur, est iustitia Christi imputata, cum loquitur Apostolus de iustitia, qua Christus iustus est, & eadem, vt isti volunt, tanquã forma nos quoque iustificat, cur in eodem loco bis dicit de eadem iustitia ad ostensionem iustitiæ? cur potius distinguendi causa, vt iustitiam istam passiuam notaret, non dixit in altero loco ad imputationem iustitiæ suæ in hoc tempore? ergo cum dixit ad ostensionem iustitiæ suæ in sustinentia, hoc enim significat ἀνοχή, declarauit iustitiã Christi, qua ille iustus fuit redimendo non violente, sed iuste per mortem suam genus humanum ad mortem damnatum, quod tandiu patienter sustinuerat diabolo seruiens, cum vero rursus dixit ad ostensionem iustitiæ in hoc tempore, declarauit iustitiam, qua nos iustificat ex fide Christi, quę quidem iustitia in eo necesse est, sit, in quo est fides ipsa Christi, quæ ad iustitiam reputatur, quòd si Christus iustus fuit propitiando pro peccatis nostris, quæ diu in multa patientia sustinuerat, & nos iustificamur credendo, & fidem per dilectionem operando, quomodo iustitia Christi nobis imputatur? imo vero fides, quæ in nobis est Dei dono, ad iustitiam nunc reputatur, vt in quo sit vere fides ista, vere item sit iustitia, vt sicut ille iustus est iustitia, quæ in eo est, & nos per gratiam eius ex fide iusti simus iustitia, quæ in nobis ab eo fit. Præterea si vbi proprietas est, ibi necesse est, sit illud, cuius est proprietas, ergo in quo est adoptio, remissio peccatorum, salus animæ quæ est vnio eius cũ Deo, & spes viua hæreditatis coelestis, quæ sunt propria iustitiæ, ibi necesse est, sit ista iustitia, at ista non in Christo sunt, sed in anima ex dono, ac gratia Dei, quare ibi quoque necesse est iustitiam istam esse. Imo vt hunc locum tandem finiamus, ratio verbi huius λογίζεσθαι quo scriptura in imputatione iustitiæ significanda vtitur, satis declarare videtur iustitiam, qua iustificamur, in nobis esse, non in Christo, vt isti volunt, significat enim λογίζεσθαι computare, vnde λογισταὶ dicuntur, qui rationes subducunt. Vt autem quod computatur, in eo remanet, cui computatur, vt sit in nummis, sic cum denarius gratiæ iustificantis computatur secundum conuentionem ex fide, quam beatus Petrus ἰσότιμον δικαιοσύνην vocauit, idest, æqualis prætii siue æstimationis in iustitia, necesse est vt in eo maneat, cui computatur, vt cum peccatum dicitur eodem item verbo λογίζεσθαι, idest, computari, profecto in eo manet, cui computatur, siue imputatur, quod magis tritum est. Cur autem hæc gratia,

de qua loquimur, dicatur iustitia, vt hoc quoque notemus, ex Dionysio Areop. intelligi potest, dicitur enim Deus iustitia, vt ille ait, quia omnibus pro cuiusq; dignitate tribuit cōuenientia, & cuiusq; naturā in suo ordine, ac virtute conseruat. hanc autem Dei iustitiā ex dono eius, ac gratia participat, qui ei credit, & diligit. hic enim tribuit, quæ Dei sunt, Deo, qui ei fidem, & dilectionem, quæ Dei dona sunt, adhibet; quod qui facit, iustitiæ munere donatur, qua iustus existit viuens vitam Dei, sicut scriptum est, iustus meus ex fide viuit. Quare vt bonitas Dei participata, quæ Dei donum est, non est in Deo, sed in nobis, sic iustitia nobis dono Dei participata, in iustificatis est, non in Deo, qui est αὐτοδικαιοσύνη, vt verbo Dionysii vtar. Ergo si iam deinceps, vt spero, quæ sit iustitia Christi, & & quæ ratio eius, & quid imputari nobis iustitiam, intellexerint Luterani, nunquam profecto amplius iustitiam Christi formam iustitiæ, quæ ex fide nobis imputetur, esse tradent, quam in Christo tantum ponere voluerunt (neque enim artificia eorum callida ignoramus) vt sic omni studio, ac labore pro peccatis satisfaciendi vulgus imperitorum liberarent, nō intelligentes quibus Christi satisfactio, & quomodo proficiat, de quo satis multa capite superiore disseruimus, imo hinc quoque effectum est, vt sine, & ante opera, vt loqui solent, in quocunque statu quis eorum sit, ex sola ista fide [illegible] iustitiam illam Christi apprehendente (sic enim loquuntur) remissionē peccatorum, & salutem animæ sibi promittant. Quid enim opus sit mihi mereri iustitiam, si in me iustitia esse non potest? Ergo vt resurrectio Christi resurrectio nostra est, idest, nobis proficit, estq; nostræ resurrectionis causa, quod quidem non prohibet, quin necesse sit, vt alia existat resurrectio Christi, alia nostra, nunc quidem mystica, ac secundum spem, postea vero in nouissimo die vera, & corporalis; sic necesse est, vt alia sit iustitia in nobis, qua nos ex fide iustificat, & alia Christi, quæ quidem nostra est, & nobis donata, sicut scriptum est, qui etiam filio suo non pepercit, sed pro nobis dedit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? nostra inquam est, & nobis donata, idest, nobis proficit, estq; nostræ iustitiæ, quæ in nobis est, causa, ita vt sicut ne nos quidem resurgeremus, nisi Christus nobis resurrexisset, estq; illius resurrectio causa nostræ, sic in iustitia dicatur, neque enim nos per fidem Christi iustificaremur, nisi Christus iustus fuisset, & pro nobis iustificatus a patre, cuius voluntate, & mandato pro nobis mortuus est, sicut Esa. de Christi morte prophetans, & vult (inquit) dominus iu-

ftificare iuftum bene feruientem multis, fic enim eft in feptuaginta, quod quidem de Chrifto dicit, qui non venit miniftrari, fed miniftrare, & rurfus idem propheta de paffione, & morte Chrifti prædicens, c. 50. dedi (inquit) corpus meũ percutientibus, & genas meas vellentibus, & paulo poft. qui hæc dixerat, iuxta eft (inquit) qui iuftificat me. Hinc quoque ductum eft aliud peftiferum, & fuperbiæ pleniffimum dogma Luteranorum de certitudine gratiæ, etenim fi non iuftitia, quæ in nobis fit, quæ mutabilis fuerit, fed iuftitia Chrifti, quæ certa & ftabilis eft, iufti fumus, & hæc cum fola, & nuda fide apprehenditur, nobis imputatur, nudæ autem fidei quifque fibi confcius effe poteft, ꝙ eam habeat, fequitur, vt ifti tradunt, vt quifꝗ poffit hac ratione de fua iuftificatione certum habere. Sed aduerfus fuperbiam iftorum, qui fenfu carnis fuæ, ficut Apoftolus ait, inflati, exiftimant fe fcire in gratia effe apud Deum, vt funt quidem iuftificati, ne quæ ab aliis fcripta funt, repetamus, de paucis locis, quæ nos obferuauimus, obiter admoneamus, ac primum quidem, quod dominus ait per Efa. cap. 43. peccatorum tuorum non recordabor, tu autem memento, fic enim eft apud feptuaginta, interpretans beatus Cyrill. in prophetæ huius comment. ὀυκ ἐᾷ inquit τοὺς ἠλεημένους τὴν τοῦ ἐλεοῦντος αὐτοὺς εἰδέναι χάριν, ἐπ' ὠφελείᾳ δὲ καὶ τοῦδε, καὶ δή γε σπουδῆς τοῖς ἁγίοις γεγονὸς εὑρήσομεν, ideft, nõ finit, eos qui confecuti funt mifericordiam, gratiam eius, qui miferetur, fcire, idque ad vtilitatem fanctorum, ftudiofe factum effe reperiemus. deinde fubiungit, Vnde Dauid propheta canit, & peccatum meum contra me eft femper, & rurfus peccatum meum ego annunciabo, & folicitus ero pro peccatis meis. ergo ego (inquit) nõ recordabor, recordare tu, confitere tu, firmam, ac ftabilem fac meam obliuionẽ. fcriptum eft enim iuftus accufator eft fui in principio fermonis. & rurfus, ne verearis confiteri peccata tua, non feruauit hoc præceptum pharifęus, nemo enim eft purus fordium, & in multis labimur omnes. hactenus Cyrillus. An non vident ifti, quemadmodum fanctiffimus, idemꝗ in fcripturis fanctis eruditiffimus Cyrillus plane affirmat, non finere Deum, vt qui funt per mifericordiam Dei iuftificati, fciant fe gratiam iuftitiæ confecutos effe? multa enim crimina nos latẽt, ficut Apoft. ait, nihil mihi confcius fum, fed nõ in hoc iuftificatus fum, quod perinde eft, quafi diceret, vt magnus Bafilius interpretatus eft, multa delicta committo, quæ committere me nõ intelligo, ficut ait propheta, delicta quis intelliget? item fanctus Diadochus Epifcop. Photinenfis c. 27. paucorum (inquit) eft, pro

pria peccata cognoscere, eorum scilicet, quibus nunquam memoria Dei excidit. Vt enim oculi corporis cum recte valent, omnia possunt cernere etiam minutissima, vt culices, cum vero turbati, & suffusi sunt, nō nisi quod grande est, sic animæ contingit. hactenus Diadochus. Rursus idem Basilius in regul. breuioribus, vt in morbis (iuquit) accidit multos quidem esse, quos non sentiunt, qui in eis sunt, tamen ii maiorem fidem adhibent medicis peritis, q̄ suo stupori, similiter in morbis animi, idest, in peccatis, licet se quis non reprehendat, quòd peccatum suum non sentiat, nihilominus tamē adhibere fidē iis debet, qui res eius peruidere melius possunt, quàm ipse, quod ab Apostolis factum animaduertimus, cum enim de sua alioqui aduersus dominum syncera charitate nihil dubitātes, dici tamē sibi audissent, vnus ex vobis me tradet, maiorem domini verbis, q̄ conscientiæ suę auctoritatē tribuerunt. altercabantur enim ac dicebant, nunquid ego sum domine? item cum quis in alterum paulo commotius, vt fit, loquitur, interim affirmans nihil sibi odii, aut inimicitiæ in animo residere, credere potius (inquit) debet scripturæ, quæ dicit, ex abundantia cordis os loquitur. hæc Basilius. Quę ergo ista certitudo gratiæ, si tam est difficile agnoscere peccata? aut quomodo non ista potius arrogans existimatio peccatū est? cur nō magis scripturæ credunt quàm sibi? cum ait per personam Apost. ad nostram doctrinam, nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, qui autem me iudicat, dominus est. in quem locum aspexisse nisi videtur idem Diadochus, quem paulo ante memini, cum ait c. 100. oportere δεῖ πάντως προσέχειν τῇ αἰσθήσει τῆς ἐξομολογήσεως, oportere, inquam, vt latine interpreter, acriter intentum & infixum esse in sensum confessionis, deinde subiungit, ne forte conscientia sibi mentiatur se suspicando, quantum satis sit, confessam esse, tametsi enim nihil sibi conscius sit, idq; habeat exploratissimum, tamen maius est (inquit) iudicium Dei nostra conscientia. huc etiam spectat quod sanctus Dorotheus de Agathone Abbate in libro de humilitate, & in libro de non insistendo sibi narrat, rogatum aliquando, cur timeret prope moriens, respondisse, se hactenus fecisse pro viribus Dei mandata, sed nescire, vtrum quod fecisset, Deo placuisset, aliud enim esse iudicium Dei, aliud hominis. idcirco Salomon duo se ait à Deo petisse, alterum, ne gratiam à se, auferret, sic enim est apud septuaginta, alterum, ne in verbo offenderet, quod est, vt Iacobus ait, perfecti viri, quasi non satis esset nihil sibi conscium esse, ne verbi quidem ociosi, vt quis sibi gratiæ

Dei confisus sit, quoniam sit Deus, qui nouit omnia, maior corde nostro. In hunc ergo errorem, & ceteros superiores Luterani inciderunt, quia neque verba sanctarum scripturarum considerate legunt, neque res verbis subiectas contemplantur, nec earum conuenientiam, neque rationes, neque causas aduertunt, quod omnibus hæreticis familiare est. Quare interpretabor hic latine, quæ magnus Athanasius aduersus eos scripsit, qui verborum scripturæ sanctæ τὰ σημαινόμενα considerare aiebant non oportere, quòd ea in istos maxime conueniant, qui quid fides sonet, quid iustitia, quid iustificatio legis, quid iustificari per fidem absque operibus legis, quid gratis iustificari, quid fidem per dilectionem operari, quid Christum pro nobis satis fecisse, & si quæ alia huiusmodi sunt, quæ ad hanc quæstionem de iustificatione spectant, quid, inquam, ista in scripturis sonent, & quid significent, neque considerare, nec intelligere volunt. Ergo Athanasius fere (inquit) inuenti sunt, qui res omnes humanas euertere contendant, audeantque, ne homines iam ratione vtantur, neque quæ natura sua optima, & pulcherrima sunt, diligenter, & limate percalleant, quin potius omnia confundunt, & perturbant, verbis sanctarum scripturarum neque considerate, neque recte, neque pie, vt dicta sunt, acceptis. Etenim si quis, vt isti præcipiunt, quæ verbis significantur, non consideret, sed potius negligenter, & sine examinatione verborum audiat, quæ dicuntur, relinquitur, vt prophetæ, & Apostoli inanes sonos fundant, & sermo omnis inutilis existat, & vanus, & qui audiunt, nihil vtile in animos mittant, sic enim præcipiunt, auribus quidem audire, corde vero non intelligere, neque consequentiam verborum perpendere, quod dominus minatus est, cum ait, auditu audietis, & non intelligetis, idcirco quod scriptum est, verbum caro factum est, cogunt audire tantum, pie vero intelligere non permittunt, quasi penes eos sit, trahere cuiusque mentem, quo velint vt quisque intelligat, vt eis videtur, non vt deceat & conueniat. Audiam ego verbum, & non quæram sententiæ conuenientiam? vbi igitur consistet aut rationis cohærentia, aut audientis vtilitas? Fortasse iubent, vt in pecudes mutentur homines, siquidem inanis sonus verborum aure sentiendus est, nulla vero vtilitas animo percipienda, non sic Paulus, qui de his docuit, nobis præcepit, vt temere, ac sine ratione, & sine discrimine aliquid acciperemus, sed quomodo? perfectorum (inquit) & solidus cibus, eorum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni, & mali. De perfectione consuluit, &

exer-

exercitationem laudauit, atque vt bonum à malo discerneremus, monuit. Sed quemadmodum prauum à recto discernere potest, quiquid ea valeant, quæ dicuntur, nõ intelligit? Vt enim qui ęgrotat, ciborum suauitatem non sentit; neque gustu cuiusq; cibi saporem integre diiudicat, sic cuius sensus aut propter ignauiam, aut stoliditatem non sunt exercitati, gustat quidem sermones, sed eorũ potestatem non sentit, neque vim subiectæ sententiæ percipit, omnia vero sine vllo discrimine, tanquam bestia, quicquid fortuito oblatum est, siue noceat, siue vtile sit, assumit. Qui ne inter animalia quidem munda numerari potest, vt qui nõ ruminet, neq; mansum cibum rationalem in hominẽ interiorem dimittat, imo potius neq; diuisum, neque modificatum, cuius vitæ mala concoctio nocere magis, quàm prodesse potest. Ecquis ignorat quemadmodum qui ad coenam à potente inuitatus est, huic lex diuina iubeat, vt quæ apposita sunt, ratione spirituali consideret? Sic etiam non oportet inanes verborum sonos rapere, sed illud potius accurate, & studiose contemplari, quod est decorum Deo, quod vtile nobis, quod cum lege consentiens, quod naturæ conueniens, quod veræ fidei, quod firmæ spei, quod charitatis integræ, & castę, quod ab infamia alienum, quod ab inuidia liberum, & quod gratia dignum. Quæ omnia cum piis cogitationibus conueniunt, & sociata sunt, vt in eo probatum, ostensumq; est, quod scriptura ait, & verbum caro factum est: Denique vt summatim dicam, qui verba auditu percipit, sed quid valeant, non intelligit, quomodo intelliget, quæ inter se primo aspectu pugnare videntur? quomodo quæstiones apte explicabit? quomodo ad eas respondebit? quomodo seruabit, quod scriptum est, vt sciamus, quomodo vnicuiq; respondere oporteat? hactenus Athanasius. Hæc sunt Germani, quæ hoc tempore de Iustificatione post tot, tantosq;, qui de ea pulchre scripserunt auctores, non vt ęmuli, & laudis eorum obtrectatores, sed vt socii, & adiutores scribenda esse studio vestri existimauimus, vtilia illa quidem vt speramus, non tantum vobis ad permanendum in veritate, quos verbis beati Ioannis tanquam fratres monebo, videte vos metipsos, ne perdatis, quæ operati estis, sed vtilia etiam Luteranis ad redeundum in viam, quos verbis quoque eiusdem Apostoli, quæ sequuntur, monebo. Omnis, qui recedit, & nõ permanet in doctrina Christi, Deum non habet. Si quis ergo venit ad vos Germani, & hanc doctrinam, quam ecclesia catholica tenet, & tenuit semper, non affert, sectasq; perditionis, vt ait scriptura, introducit, nolite recipere

R


eum in domum, nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit ei aue conniuens, & congaudens errori eius, & hæresi, ac non potius luctum habet, vt qui huiusmodi est, eiiciatur ex ecclesia, tollaturque de medio, hic communicat operibus eius malignis, & tanquam socius, ac particeps punietur, quem diuidet dominus in die illa, partemque eius cum infidelibus ponet, qui est benedictus in sæcula.

AMEN.

CORRECTIONES.


Fol 4. pag. 1. ver. 39 proprie, & pag. 2. ver. 14. κατόρθωμα f. 5. pag. 1. ver. 7. δωρεὰν δικαιοῦσθαι, & ver. 23. concludunt, & ver. 27. πάντα εἰρμὸν. eodem f. pag. 2. vers. 4. Theosthenem. f. 9. pag. 2. vers. 34 κίνησις. f. 10. pag. 2 ver. 22. πίστεως f. 16. pag. 1. ver. 6. sacramentum fide. & pag. 2. ver. 13. σύνεργα. f. 18. pag. 2. ver. 10. πίστεως f. 20. pag. 4. ver. 4. φυσικῶς. f. 28. pag. 1. ver. 36. Iudæus, f. 30 pag. 2. ver. 12. effunderet. f. 33. pag. 1. ver. 3. tantum. f. 34. pa. 2. ver 27. quem. f. 41. pag. 2. ver. 39. Antichristis. f. 42. pag. 1. ver. 16. δαιμόνων. f. 42. pag. 2. ver. 12. is. f. 44. pag. 1. ver. 15. adhęreas. f. 57. pag. 2. ver. 17. ergo. f. 65 pag. 2. ver. 1. conscius.

Aduertat, qui hæc leget. (vt de hoc mihi a quibusdã caueam) quod in cap. de iustificatione Abrahæ, & sępe alias scriptum, & inculcatum est, non ex debito, sed ex gratia, ac misericordia Dei hominẽ iustificari. de eo debito accipiendum esse, quod Pelagiani in meritis humanis ponebant, quæ in schola dici solent ex puris naturalibus, & quæ Paulus in epistola ad Romanos c. 4. opera secundum carnem appellat.



FRANCISCI TVRRIANI DOGMATICVS DE ELECTIONE DIVINA

AD OTHONEM TRVCHSEN. CARD. AVGVSTANVM.



*



SCRIPSERAM Otho, Card Ampliss. de Iustificatione, tametsi nōdum publicaram, cū mihi in mentem venit, vt etiam de Electione diuina, & eius causis aliquid scriberem. Quòd electionem non ex fide tantum, sed ex operibus qui fieri confiteatur, idem nos, non ex fide tm̄, sed ex operibus iustificari confiteatur, necesse est. Vnde enim quis ad gratiam adoptionis filiorum Dei, & iustitiæ, ac sanctificationis electus est, inde ad gratiam istam vocatus est. Et vnde vocatus, inde iustificatus. Sic autem scribam, vt subtili, & spinoso disputandi genere remoto, quo tota hęc hactenus quęstio nō mediocriter obscurari solebat, ad liquidos illa quidē scripturæ sanctæ fontes reuocetur. Qui locus non tantum Luteranis necessarius est, sed etiam plerisque nostrum vtilis. Neque enim qui nos ex fide tantum iustificari tradunt, sed multi quoque eorum, qui non ex fide tantum, sed ex operibus, causam omnem electionis diuinæ sustulerunt. Tametsi vtrique si consentanea disciplinæ suæ dicere voluissent, debebant illi quidem ex fide ista sua ψιλῇ causam electionis ducere, nostri vero ex fide, & operibus. Rursus enim ex eo iustificatur aliquis, vnde vocatus est ad iustitiam, & ex eo vocatus, vnde priusquam esset, electus est, vt vocaretur, & inde electus, vnde præcognitus. Huius vero quæstionis explicatio, quàm difficilis à nostris diu habita sit, testes sunt tam multi de ea scripti libri. Rursus quàm olim facilis haberetur, coniecturam ex silentio veterum auctorum facere licet. Græci enim patres magno consensu ex nostris bonis operibus futuris, tanquam Dei donis ex æternitate præcognitis, prædestinatos nos esse tradiderunt. Quos quidem tanquam magistros, vt ceteros taceam, secutus est ex veteribus sanctissimus, idemque doctissimus Ambrosius. Sed inter veteres Augustinus, summa item sanctitate, multaque doctrina, & acri ingenio auctor, plerisque visus est à maior

ribus dissentire. quod Pelagianos humanorum meritorum patronos, ac defensores non minus vehementer, quàm catholice oppugnãs, qui traderent pro humanis meritis gratiam tribui, ac propter merita nostra præuisa, quæ à nobis incipiant, nos prædestinari, ita se totũ in istius præuisionis humanorum meritorum confutationem effudit, vt omnium operum præuisionem à ratione prædistinationis remouere videretur. Verum non sustulisse præcognitionem meritorum, quæ à Deo incipiant, & nobis secundum propriam virtutẽ voluntatis sequentibus, & cooperantibus donentur, ipse enim operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate, ex infinitis locis eius intelligi potest, si quis eum attente, & accurate legat, vt nuper legit, & obseruauit quidam catholicus, & eruditus auctor. Qui postquam Augustinum cum Ambrosio cõcordare sermone inter eos more dialogi vltro, citroq; habito, grauiter, & acute demonstrauit, plurima loca ex variis Augustini libris in vnum contulit. Ac potuisset quidem plura, si voluisset, sed illa visa sunt, & quidem merito nimis multa in re multis comperta. In eo itaq; lib. quem de prædestinatione sanctorum aduersus Pelagium scripsit Aug. Elegit nos (inquit) Deus in Christo ante mundi constitutionẽ, prædestinans nos in adoptionem filiorum, non quia per nos sancti, & immaculati futuri eramus, (hoc enim Pelagianorũ erat) sed quia (inquit) per Dei gratiam sancti, & immaculati futuri eramus. Et rursus, Nam quid est quod Apost. ait, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem quod profecto si propterea dictum est, quia præsciuit Deus credituros, scilicet per se (quod Pelagiani dicebant) & non quia facturus erat ipse credentes (idest credituri per Dei gratiam) contra præscientiam loquitur filius dicens, non me elegistis, sed ego elegi vos. Cum potius hoc præscierit, (vt Pelagiani volunt) quòd ipsi eum electuri erant, (scilicet suis viribus) vt sic ab illo eligi mererentur. Deinde subiungit, Electi itaq; sunt ante mundi constitutionem ea prædistinatione, in qua Deus sua futura facta præsciuit. Vt iam ista futura siue præuisa facta, quæ nostra, idest, humana sunt, quæ Pelagiani defendebant, tollere quidem videatur August. relinquere vero quę Dei sunt, & nostra, vt sunt opera bona. Et rursus in eodem libro, Cum ergo nos prędestinauit, opus suum præsciuit, qui nos sanctos & immaculatos facit. Et libro secundo de bono perseuerãtiæ, cap. 14. An (inquit) quisquam dicere audebit Deum non præscisse quibus esset daturus, vt crederent? aut quos daturus erat filio suo, vt ex eis non perderet quemquã? Quæ vtiq; si præsciuit, beneficiã sua,

,, quibus nos dignatur liberare, præsciuit. Hæc prædestinatio san-
,, ctorum nihil aliud est, quàm præscientia scilicet, & præparatio be-
,, neficiorum, &c. Qđ si præsciuit sua beneficia, quibus nos dignatur liberare, ergo quibus nos dignatur eligere ad iustitiam, & salutem, & liberationem, qui sunt proprii fructus prædestinationis. Quare beneficia ista præscita, quæ Deus in nobis operatur, antecedunt quidem tanquam causa quædam prædestinationem. Denique cum in eodem libro Cypriani, & Ambrosii de gratia prædestinationis doctrinam, & prædicationem laudet aduersus Pelagium, qui ex præuisis humanis meritis gratiam hominibus prædestinari tradebat, quis possit suspicari Augustinum ab Ambrosio de ratione prędistinationis dissidere? Sed videamus quid de illis Augustinus di-
,, cat, vnde supradicti (inquit) tractatores excellentissimi diuinorum
,, eloquiorũ (nominarat autem paulo supra Cyprianũ, & Ambrosiũ)
,, & gratiam Dei veram, sicut prædicanda erat, prædicarunt, idest,
,, quam nulla merita humana præcedunt, & ad facienda diuina præ-
,, cepta instanter hortati sunt. Et paulo post, recitans testimonium
,, horum sanctorum. Et beatus (inquit) Ambrosius cum exponeret
,, quod ait Lucas Euangelista, visum est mihi, potest (inquit) non soli
,, visum esse, quod sibi visum esse declarat, non enim voluntate tan-
,, tum humana visum est, sed sicut placuit ei, qui in me loquitur Chri
,, stus. Qui vt id, quod bonum est, nobis quoque bonum videri pos
,, sit, operatur, quem enim miseratur, & vocat. Et ideo qui Christum
,, sequitur, potest, interrogatus, cur esse voluerit Christianus, respon-
,, dere, visum est mihi, quod cum dicit, non negat Deo visum, a Deo
,, enim præparatur voluntas hominum. Vt enim Deus honorifice-
,, tur à sancto, Dei gratia est, &c. Quòd si non ex meritis humanis, sed ex misericordia, idest ex eo, quod ipse in nobis operatur, vocat, ergo ex eo prædestinat, & eligit, quos enim prædestinauit, hos & vocauit. Denique in eo libro, quem postremo ad Simplicianum de re hac cautius, & attentius se ait scripsisse, non contentum, vt ille ait, inquisitione, & explicatione præterita, nequid in ea negligentius prçterisset, post multam, & actem disputationem, & Academicis si-
,, milem, quæ idcirco non est ad intelligendum facilis, sic ait, Vnde
,, quod dictum est, quia elegit nos ante mundi constitutionem, non
,, video quomodo sit dictum, nisi præscientia. Hic autem quod ait,
,, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet
,, minori, non electione meritorum, quæ post iustificationem gratię proueniunt, sed liberalitate donorum voluit intelligi, ne quis de

operibus extollatur, &c. Docet ergo Augustinus elegisse Deum ad iustitiam ante mundi constitutionem, non quidem præscientia meritorum illorum, quæ iustificationem sequuntur, sed præscientia donorum suorum antecedentium. Quæ autem dona ista sint, " declarat paulo post, Vt velimus (inquit) & suum esse voluit, & no" strum, suũ vocando, & nostrũ sequendo. Dona itaq; intellexit gratiam antecedenter mouentem, quæ multiplex esse potest. Quod " magis adhuc declarans, rursus in extremo libri sic cõcludit, Restat " ergo, vt voluntates eligantur, sed voluntas ipsa, nisi aliquid occur" rerit, quod delectet, atq; inuitet animum, moueri nullo modo po" test, vt autem occurrat, non est in hominis potestate. Docet igitur Aug. si antecedentia cum consequentibus nectantur, eligisse Deũ ad iustificationem præscientia gratiæ suæ mouentis, & voluntatis nostræ gratiam mouentem sequentis, ita vt ex donis Dei coniunctis cum nostræ voluntatis operatione, & obedientia tanquam ex causis electio diuina existat. Esto igitur ista paucorum locorũ notatio instar multorum. Plura enim qui volet in promptu habere, & vt dicitur ad manum, legat docti, & acuti auctoris, quem paulo ante memini, theologicos dialogos, in quibus satis ille quidem considerate, ac diligenti obseruationis studio Aug. cum Ambrosio in ratione prædestinationis consentire docuit. Idem ante eum senserunt Enrichus Gandauensis quotlib. v i i i q. v. & Thomas Argentinas 1. sent. dis. 41. Ceteri vero scholastici dũ traderent nihil in ratione prædestinationis præter Dei voluntatem requirendum esse, sequi se Augustinum falso illi quidem existimarunt. Augustini ergo sententiam in eo, quod Pelagium de profana iactatione meritorum humanorum accusat, quasi Deus illis ante visis gratiam iustificantem homini prædestinarit, omnes catholici vno sensu, & iudi" cio secuti sunt semper. Præsciebat enim (ait Pelagius) qui futuri " essent sancti, & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium, & ideo " eos ante mundi constitutionem in ipsa sua præscientia, qua tales " futuros esse præsciuit, elegit, vtique ipse non fecit, neque se facturũ " sed illos futuros esse præuidit, &c. Hęc erat Pelagianorum hæresis, vt Pontifex Gelasius in epist. ad Honorium testatur, damnata ante eum à sanctis Pont. Innoc. Zosimo, Bonif. Celestino, Sixto, Leone, imo etiam legibus Imperatorum, vt idem ait, cautum, ne vsquam terrarum viuendi locum sectatoris eius habere sinerentur, Hanc sanctissimus pater August. patrocinio gratiæ antegredientis,

quam illi superbe, & profane tollebāt, suscepto catholice refellens
„ Cernitis (inquit) proculdubio cernitis quanta manifestatione Apo-
„ stolici eloquii defendatur hæc gratia, contra quam merita extollun
„ tur humana, tanquam homo aliquid prior det, vt retribuatur ei, &c.
„ Deinde subiungit, Elegit ergo nos Deus in Christo ante mundi
constitutionem prædestinans nos in adoptionem filiorum, non
quia per nos sancti, & immaculati futuri eramus. Hoc enim erat
quod falso, & hæretice Pelagiani tradebant, quasi opera bona à
nobis inciperent, propter quæ tanquam humana merita gratia tri-
bueretur, ac tribuenda prædestinaretur. Relinquebat igitur Augu
stinus in præscientia Dei ad rationem prædestinationis opera bo-
na non illa quidem à nobis primum coepta, sed à Deo nobis eum
sequentibus. Nos enim præeuntem, vt idem nobis iubet, sequimur,
si vt nos in gratiam suam vocet, & admittat, velimus. Verum hoc ne
pleriq; nostrorum scholasticorum aduerterent, in causa fuit, q̄ le-
gebant ab Augustino retractatum, quod idem de electione Iacob
„ scripserat inquiens, Nō ergo elegit Deus opera cuiusq̄ in præscien
„ tia, quæ ipse daturus est, sed fidem elegit in præscientia. Deinde
„ subiungit, Vt quem sibi crediturum esse præsciuit, ipsum elegerit,
„ cui spiritum sanctum daret. Hoc inquam August. retractauit, sed
quo sensu retractasset, non magis illi quidem intellexerunt, quàm
intellexerat magister sententiarum, cuius sensum tanquam magistri,
omnes fere vt discipuli arripuisse videntur. Sic enim in primo lib.
sent. dis. 41. scripsit, opinati sunt tamen quidam Deum ideo elegisse
" Iacob, quia talem futurum præsciuit, qui in eum crederet, & ei ser-
" uiret, quod aliquando (inquit) Augustinus se sensisse dicit in lib. re-
" tract. Hæc ille nihil amplius explicans, imo fortasse neq; intelligēs
quid Augustinus, & quo sensu retractasset, quod Enrichus quoq;
Gand. se ait mirari. Correxit quidem Aug. quod aliquando existi-
marat proficisci electionem ex prӕcognitione fidei quasi operis hu
mani, vt ex ipso cap. 23. lib. 1. retract. perspici potest, sic enim retra-
ctando quod dixerat, ait, Profecto non dicerem, si scirem ipsam fi-
dem inter Dei munera reperiri. Et lib. 1. de prædest. sanct. c. 3. vbi
eandem retractationem repetit, Quid (inquit) habes quod non ac-
„ cepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Quo præcipue (inquit)
„ testimonio etiam conuictus sum, cum similiter errarem putans fi-
„ dem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed à nobis in
„ nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter, &
pie, & iuste viuamus in hoc sæculo, &c. Error itaq; August. fuerat,

ꝙ existimarat aliquando esse in nobis ex nobis initium merendi, quod esset fides, & hoc Deum quasi meritum proprium præcognoscere in homine ad eum eligendum. Quo errore correcto relinquitur sensisse deinceps, vt quem præsciuit Deus crediturum non quidem suis viribus, qui fuerat superior error, sed per Dei gratiam, fides enim Dei donum est, hunc elegerit. Similiter dicatur in præscientia operum fidei, cũ dona item Dei sint, ipse enim est, qui operatur in nobis, sicut Apost. ait, velle, & perficere pro bona voluntate. Quando ergo existimabat Aug. Deum in eligendis præcognoscere propria eorum merita, & talem existimabat fidem, quasi à nobis inciperet, quæ deinde cetera bona opera à Deo impetraret, quę ipse nobis cooperantibus daturus erat, tunc dixit, Non ergo elegit opera cuiusquam in præscientia (quasi illam non esset daturus) Deinde subiunxit, vt quem sibi crediturum esse præsciuit (scilicet suis viribus) ipsum elegerit, quasi ex meritis propriis humanæ carnis præcognitis homo eligeretur. Vt enim Leo Magnus in epist. 84. contra Pelagianos, & Celestianos scribit, naturali industria gratiam præueniri putabant, cum potius, vt idem Leo ait, origo meritorum gratia sit. Rursus vero quando intellexit idem Aug. fidem esse Dei donum, simul intellexit non ex meritis humanis, sed ex meritis, quæ Deus homini donaret, idest, quæ in homine, & cum homine operaretur, eligi, vt quem sibi crediturum dono Dei præsçiret, ipsum eligeret. Vt similiter intelligatur in operibus fidei, quæ Dei quoq; dona sunt, vt quem pręsciuit facturum opera Dei, ipsum elegerit. Hæc est vis, & sententia retractationis Augustini. Quam nuper ante me doctus ille, & acutus auctor, quem supra semel, & iterum memini, licet nimis breuiter, in suis dialogis attigit, credo ꝙ existimaret satis esse vel leui animaduersione notare. Idẽ multo ante Enrichus Gandauensis quotl. viii. q. v. notarat, scilicet quod Aug. retractasset, accepisse eum de merito fidei informis, quam credebat (inquit) esse ex nobis, quod vero Roma. ix. de Iacob, & Esau ante opera vlla altero odio habito, altero dilecto sic dixisset, Præsciẽtia Dei hoc factum est, qua nouit etiam de nondum natis qualis quisq; futurus sit, nusquam hoc retractasse. In eandem sententiam Thomas quoq; Argentinas quod dixit Aug. in lib. 83. q. Sed hæc voluntas Dei iniusta esse non potest, venit enim de occultissimis meritis, nusquam hoc retractasse asseuerat, neque discrepare quod in libro de prædest. dixisset, non quia futuros nos tales præsciuit, ideo elegit, sed vt essemus tales, esse enim hic meritorum homonymiam

quam vocant æquiuocationem. Tametsi illud parum cohæret in hoc auctore, vt hoc quoque obiter notemus, quod idem tradit ad ratiocinationem suam respondens, bonum vsum liberi arbitrii bonitate morali ex puris naturalibus, idest, ex nobis cum communi, & vniuersali Dei influentia (sic enim loquitur) causam prædestinationis esse, nō autem bonum vsum liberi arbitrii meritorium etiam de congruo, hunc enim effectum potius esse. Cum tamen approbet, quod August. dixit, voluntatem Dei prædestinantem non esse iniustam, venire enim de occultissimis meritis, & quod Ambr. scripsit, ei misericordiam dabo, quem præscii post errorem recto corde reuersurum ad me. Etenim si conuersio peccatoris ad Deum secundum præscientiam causa est meritoria prædestinatæ misericordiæ, non ex nobis, sed ex dono Dei, quemadmodum tradit bonū vsum liberi arbitrii ex nobis causam esse prædestinationis? Rursus quomodo negat omne genus meriti in causis prędest. si concedit quod August dixit venire de occultissimis meritis? In hanc ergo repugnantiam, & incostantiam incidit, quia nō distinxit prædestinationem, vt nos paulo post distinguendam esse plane docebimus. Sic enim facile ad ratiocinationem suam respondisset, cum aiebat nihil quod est effectus prædest. potest esse causa eius, sed bonus vsus liberi arbitrii est effectus prædestinationis, ergo non est causa eius. Hæc ergo Augustini retractatio, vt à tam paucis scholasticis intelligeretur, præter eam causam, quam magistri sententiarum auctoritas & opinio præiudicata præbuit, accessit alia Augustini propria, qui interdum, nisi valde attente relegatur, pugnare secum videatur, cum minime pugnet. Huius generis est, quod in eodem libro de prædest. sanctorum tradit, illud Non me elegistis, sed ego elegi vos significare non quidem electos esse, quia præcognouisset Deus futuros esse eos p fidem aptos, & idoneos ad electionem, sed electos esse, vt crederent, quod per Dei gratiam fieret. Hoc autem quis nō cernit cum eo videri discrepare, quod idem in lib. retracta. docuit, vt ante explicauimus, vt quem præsciuit crediturum, scilicet dono Dei, ipsum elegerit, cui spiritum sanctum daret? Adde ꝙ non semel aut iterum, sed sæpe affirmat gratiam Dei, quæ nobiscum operatur (de hac enim loquitur) effectum esse prædestinationis, quod necesse est tollat præscientiam operum bonorum ante prædestinationem, si opera bona sine Dei gratia, quæ prædestinationē sequitur, fieri non possunt. Quare ne pugnantia dicat, vt quidem non dicit, necesse est, quamuis dissimulare videatur, vt de duplici electione, ac

prædeſtinatione loquatur, vt quidem loquitur, quod ſtatim docebimus. Sic enim ait in lib. de prædeſt. c. 17. Nõ me elegiſtis, ſed ego
" elegi vos, & ipſi quidem (inquit) proculdubio elegerunt eum, quan
" do crediderunt in eum, vnde non ob aliud dicit, non vos me ele
" giſtis, ſed ego elegi vos, niſi quia nõ elegerunt eum, vt eligeret eos.
" Deinde ſubiungit, ſed vt eligerent eum, elegit eos. Declarat autem ſtatim quomodo elegit eos, vt eligerent eum, quia miſericordia (inquit) eius præuenit eos ſecundum gratiam, nõ ſecundũ debitũ, &c. Quare ſi elegerunt eum, quando crediderunt in eum, crediderunt autem per gratiam eius, quam eis dedit ad credendum, & dare eis gratiam iſtam ad credendum, quam bonitate ſua ſine vllis meritis dedit, fuit eligere eos, ſit, & dicatur electio iſta, electio bonitatis, ſiue electio antecedens, ſitq; huius electionis, ſiue prædeſtinationis antecedentis effectus gratia iſta ad credendum, & operandum, quæ etiam gratia antecedens, ſiue operans dici poteſt. Rurſus vero cum ait, Quem præſciuit crediturum ſcilicet per gratiam Dei, ipſum elegit, cui ſpiritum ſanctum daret, vt bona operando etiã vitam æternam conſequeretur, de alio iam electionis genere loquitur. Quæ electio iuſtitiæ, ſiue electio ſequens dicitur, ꝙ ſequatur merita, ideſt fidem, & opera fidei, quæ Deus dat nobis, vt iuſte ex eis non ſecundum debitum, ſed ſecundum gratiam eligamur, & ad iuſtitiam, & ſanctificationem vocemur, & electi, ac vocati iuſtificemur, ac ſanctificemur, & iuſtificati tandem glorificemur. Quare ſit huius prædiſtinationis effectus gratia iuſtificans, aut gratificans, ſiue gratia ſequens ex eo dicta, ꝙ ſequatur fidem, & opera fidei, ex quibus ad gratiam iſtam iuſtificantem vocemur. Ne vero ego primus diſtinctionem iſtam excogitaſſe vlli videar, aut ſine auctore & quidẽ nõ vulgari loqui, ſic beatus Ioannes Damaſcenus voluntatem Dei, quę alioqui vna eſt, & ſimpliciſſima, eademq; bona ſemper, & iuſta, ſecundum differentiam tamen, quæ in effectis eſt, duplicem eſſe tradit. Vna eſt bona voluntas, ſiue beneplacitum bonitatis (ſic enim vocat in lib. contra Manicheos, quem ἐπιλοθήκην inſcripſit) cuius mihi meminiſſe videtur Apoſt. 2. Theſſ. c. 1. cum ſe ait Deum precari, vt impleat in eis πᾶσαν εὐδοκίαν ἀγαθωσύνης, ideſt omnem bonam voluntatem bonitatis, ſiue omne beneplacitum bonitatis. De qua voluntate idem Damaſcenus accipiendum eſſe ait, quod idem Apoſt. ſcripſit, Velle Deum omnes homines ſaluos fieri. Nihil enim eſt, quod bonitati eius facere conueniat, vt omnes ſalui fiant, quin fecerit, & faciat ſemper. Quæ voluntas ab eodem Damaſc. & aliis

eccle-

aliis ecclesiasticis auctoribus vocatur etiam bona volũtas προηγουμένην, idest, antecedens, ipse enim prior dilexit nos, & idem est principium vniuersi boni operis. Altera est bona voluntas iustitiæ, quæ est bona voluntas retribuendi iustè secundum præcognitionem meritorum, qua voluntate non omnes homines vult saluos fieri, sed eos, qui gratiæ Dei iustificanti non desunt, hi enim sunt secundum beneplacitum eius digni salute, & hos iustum est eam cõsequi. De hac bona voluntate iustitiæ meminit Euangelium in parabola de operariis, qui enim dixerat prius, Quod iustum est dabo vobis, idem paulo post dixit murmuranti in illius patris familias iustitiam. An non licet mihi quod volo facere? Quod perinde est, quasi diceret, an nõ est iustum, quod volo? Sit ergo hæc voluntas iustitiæ, qua Deus bene de se merentes, idest ex fide, & operibus bonis ad iustitiam, & amicitiam suam vocat iuste, vt sit ipse iustus, & iustificans eum qui ex fide est. Quæ eadem etiam dicitur bona voluntas ἑπομένην, idest sequens, ꝙ sequatur bona opera, quæ nobiscum ipsius gratia prius operatur in nobis. Similiter distinguenda est dilectio Dei, vt sit altera antecedens, siue bonitatis, qua nos cum impii essemus, prior dilexit, imo qua cuncta diligit, quæ fabricatus est, qui vt ait Sapi. Salom. nihil odiens constituit, aut fecit. Altera est dilectio iustitiæ, siue dilectio sequens, qua iuste diligit diligentes se, vt ipsa sapientia patris testatur, & idem dominus in euangelio, Qui me, inquit, diligit, diligetur à patre meo. Ad hunc modum distinguenda quoq; est in scripturis prædestinatio. Etenim si duplex est bona voluntas, altera antecedens, siue bonitatis, altera sequens, siue iustitiæ, prædestinationem vero vocat scriptura bonam voluntatẽ, vt Diony. Areop. in diui. nomi. c. 5. notauit, sequitur, vt duplex itẽ sit prædestinatio, vna bonitatis, siue antecedens, altera iustitiæ, siue sequens, ex eo dicta, ꝙ præcognitionem fidei, & operum sequatur, vt paulo post demonstrabimus, vnde prædestinatio secundũ præcognitionem dicitur. Similiter dicatur de electione, quæ est virtus, & proprietas prædestinationis, vt idem Diony. tradit, ait enim prędestinationem esse ποιητικὴν καὶ ἀφοριστικὴν, idest, habere vim efficiendi, & segregandi, hoc est eligendi, hoc. n. significat in scriptura segregare, Vt Paulus cum placuit (inquit) ei qui me ἀφορίσας, idest, segregauit ex vtero matris meæ, qui me inquam elegit, antequam natus essem. prædestinat enim Deus eligendo. Similiter distinguatur vocatio, vt altera sit antecedens, siue bonitatis, qua vocat omnes ad salutem, faciens quæcunq; pro bonitate sua facere debet, vt oẽ

ſalui fiant. De qua vocatione dictum eſt illud in parabola euange-
lii, Multi ſunt Vocati. Altera ſit vocatio iuſtitiæ, quæ in ſcriptura
dicitur vocatio ſancta, vocatio coeleſtis, & vocatio ſecundum pro-
poſitum, ſiue prædeſtinationem. Qua vocatione vocat non popu-
lum populum ſuum, faciens non ſuos ſuos, vocat inquam ad adop
tandum in filios ſecundum ſpiritum ex fide. Dicatur etiam hęc vo
catio ſequens, quod ſequatur fidem, & opera fidei, ex quibus iuſte non
ſecundum debitum, ſed ſecundum gratiam ad gratiam iuſtificantē
vocamur. Qua vocatione pauci vocantur iuxta parabolam euan-
gelii, quæ ait, Paucos eſſe electos, Quos enim prædeſtinauit, ac ele-
git, vt conformes fierent imagini filii ſui, qui ſunt pauci, hos & vo-
cauit ad gratiam iſtam adoptionis. Prædeſtinatio ergo iſta ſancta,
quam ſcriptura vocare ſolet, tum προορισμόν, ideſt, præordinationē
ſiue prædeſtinationem, tum εὐδοκίαν, ideſt bonam voluntatem, ſiue
beneplacitum, tum πρόθεσιν, ideſt, propoſitum, vt s. Maximus in
ſcholiis Diony. de diuinis nominib. c. v. obſeruauit, nihil aliud eſt, quam
Dei propoſitum, ſiue conſilium, ſiue voluntas, aut ſententia de futu
ris ſecundum præcognitionem. Sic enim idem Io. Damaſc. in O-
plotheca contra Manicheos προορισμὸν diffiniuit, κρίσιν καὶ ἀπό-
φασιν ἐπὶ τοῖς ἐσομένοις, ideſt, iudicium, & ſententiā de futuris. Dein
de ſubiungit προεγνωκὼς ὁ θεὸς τὰ ἐσόμενα ἐφ' ἡμῖν, προορίζει τὰ
οὐκ ἐφ' ἡμῖν, ideſt, præcognoſcens Deus futura in poteſtate volun
tatis præordinat, quæ ſunt extra noſtram poteſtatem. Futura in
poteſtate voluntatis vocauit virtutes, non quod virtutes ſanctas nos ex
nobis operari poſſimus, ſed quod in noſtra poteſtate ſitum ſit gratiam
Dei operantis cooperando ſequi. Poſita vero extra noſtram pote
ſtatem dixit, iuſtitiam ſanctificationem, remiſſionem peccatorum,
ſalutem animæ, æternam vitam, hæc enim ſolus Deus operatur in
iis, quos per fidem, & opera fidei dignos effecit ipſis cooperantibus
& ſecundum virtutem propriam iuxta parab. euangelii negotian-
tibus Itaque vt voluntate antecedente, ſiue bonitatis, omnes homi-
nes vult Deus ſaluos fieri, ſic prædeſtinatione antecedente, & boni-
tatis, ac generali, ſimili item vocatione omnes prædeſtinat, & vocat
ad ſalutem. Ex quibus quidem ii, qui gratiæ huiuſmodi prædeſti-
nationis, ac vocationis antecedentis non deſunt ſequendo pręeun
tem, & admittendo lumen in omnium hominum oculos bonitate
Dei incurrens, iidem digni exiſtunt prædeſtinatione, & vocatione
ſequente, quæ eſt prædeſtinatio, & vocatio iuſtitiæ. Ita vt prædeſti-
nationis ſequentis effectus ſint maxima illa, & pretioſa promiſſa

adoptionis,iustitiæ,remissionis,salutis animæ, & coelestis hereditatis,quæ Deus nobis per fidem, & virtutes fideles donauit. Ea vero omnia,ex quibus gratis vocamur vocatione sequente, siue iustitiæ ad gratiam istam adoptionis, & ceterorũ omnium, quæ adoptioni annexa sũt,quę Deus bonitate sua nobiscũ operatur in nobis,nihil in nobis ex nobis tanq̃ meritum eoꝝ antegressum pręcognoscens, effectus sunt antecedentis prędestinationis,vt tum fides,ac fidei opa & gratia Dei,quæ hæc nobiscum in nobis operatur, tum ad gratiã istam operantem aptitudo, siue dispositio, quæ à gręcis προθυμία, & ἐπιτηδειότης dici solet,quę ad initium boni operis pertinet.Vt.n. ait Clem Alexand. in vi i i.Strom. de causis,omne quod operatur, præbet effectum cum aptitudine,disponit enim(inquit)causa. Quare falsum est,vt hoc quoq; obiter admoneamus,quod Cassianus,& Io.cognomento Climax,& alii auctores magni alioqui,& catholici nominis semina virtutum nobis insita esse voluerunt. Quid enim aliud est hoc,q̃ initia bonorum operum,quę Dei dona sunt, nobis quod Pelagianorũ est,tribuere?Cum potius aptitudo, & dispositio ista,quæ instar seminis principium est bonę frugis,ex Deo sit,& effectus prędestinationis antecedentis.Falsum itẽ,quod Petrus Chrysologus auctor quoq; antiquus,& sanctus sermone 5.ait primã voluntatem reportare a Deo bona, mala'ue, quasi nos prius demus Deo,vt retribuatur nobis, aut quę ista quęso prima voluntas erit, quę à Deo reportat bona?Simile est,quod beatus Hiero.in cõmẽt. Eze. c.1. scripsit,initia voluntatis in nobis esse, perfectionem vero beatitudinis à Deo nos consequi. Et quod Optatus Afer in libris contra Marc. tradit. omnes nos esse semiperfectos, nostrum esse currere,Dei autem perficere. Videtur enim,cum nos semiperfectos dixit,initia voluntatis in nobis posuisse,vt Hierony. Rursus falsum est, quod Faustus Aug. discip. lib. 2. de libero arb. tradit,aliquando in mediis dispositionibus nostris voluntatem antecedere desiderio gratias speciales,idcirco enim rogasse dominum in euangelio eum quem sanare volebat,an vellet sanus fieri, cum potius Deus det desiderium,vt quod ipse vult nos velle,id velimus.In hoc etiam errore confessus est Aug se aliquando fuisse. Libenter hęc obiter obseruauimus, & aduersus Luteranos notata esse voluimus, qui nos tanq̃ Pelagianos calumniari solent,vt intelligant quàm longe ab eis distemus.Cum igitur Deus ex ęternitate aptitudinem,siue dispositionem istam ad gratiam operantem,& gratiam ipsam operantẽ prędestinatione antecedente,siue bonitatis nobis prędestinauit,profe

cto bona opera nobis prȩparauit. Sicut Apost in epist ad Ephe. creati (inquit) scilicet creatione spirituali per lauacrum regenerationis in operibus bonis. Deinde subiungit quȩ præparauit Deus vt in eis ambulemus. prȩparauit inquam prȩdestinando. Hoc est, quod Salom. ait prouer. viii. loquens enim de bonis operibus, Beatus (inquit) vir qui audierit me, & homo, qui vias meas seruauerit, vigilans ad ianuas meas semper, custodiens limina meorum ingressuum, Exitus enim mei exitus vitæ. Aptitudinem ad bonũ opus & boni operis initiũ, ac deinde consumationem, quæ salutem animæ parit, quæ sunt omnia ex Deo, tropice vocauit ianuam, & ingressum, & exitum. Necesse est autem qui velit saluus esse, vt huic triplici gratiæ Dei non desit aptāti nos ad bonum opus, & operanti in nobis, & perficienti. Ipse enim est ostium boni operis, ipse facit aditum, & progressum, ac exitum eius, siue consumationem, quȩ exit in iustitiam, cuius fructus, ac virtus propria est salus, & vita animæ. Ideo enim ait, exitus mei, exitus vitæ. Qui quidem locus cum eo conuenit, quod Dominus in euangelio Io. dixit, per me tanquā per ostium si quis introierit, scilicet ad credendum, & operandum fidem, ingredietur, & egredietur, idest, incipiet, & cōsumabit, & pascua inueniet scilicet vitæ. Quod enim Salom. dixit vitam, dixit hic Christus pascua, vt intelligamus pascua vitæ æternæ. Deinde subiungit Salo. voluntas scilicet bona (de hac enim loquitur) à domino ἑτοιμάζεται, idest, paratur. Quam hic dixit Salo. voluntatem, Paulus dixit opera, cum ait de operibus bonis, quæ προητοίμασε, idest, præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Solet enim scriptura voluntatem pro operibus dicere, vt cum ait facere voluntates carnis pro eo, quod est opera carnis. Rursus pro eo, quod Salo. dixit paratur, Paulus dixit προητοίμασε, idest, præparauit Deus, quod ad prædestinationem refertur. In quo dicere licet, quod beatus Fulgent. ait in libris ad Monymum, explicans enim quod ex Salomone his verbis citat, Voluntas à domino præparatur, quasi græce legisset προετοιμάζεται, nōn ob aliud (inquit) præparata dicitur, nisi quia danda prædicitur, similiter dicamus de operibus bonis à Deo præparatis, non ob aliud prȩparata dicuntur, nisi quia danda prȩdicuntur, vel melius fortasse quàm Fulgentius, nisi quia danda prȩordinantur. Nihil est enim nouum sub sole dixit Ecclesiastes, quid est (inquit) quod fuit? ipsum quod futurum est. Vt rursus intelligamus, vt idem Fulgent. legit, quid est, quod futurum est? ipsum quod fuit, sicut ait propheta Esa. c. 45. de Deo, qui fecit futura. Quem lo-

cum explanans idem Fulgent. in eisdem libris, in illa quippe ait im mobilitate consilii sui secundum beneplacitum suum, quod propo suit in eo in dispēsatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo quæ in cælis, & in terra sunt in ipso, ex æternitate dispo sitionis suæ iam fecit, quæcunque effectu operis tempore cōgruo facienda disposuit, illa enim sempiterna voluntas nunquam mobi- litati subiacet &c. Ergo vt ad propositū redeamus, gratia Dei, quæ operatur in nobis velle, & perficere opera bona, & beneplacentia, vt Apost. vocare solet, quæ Deus præparauit prædestinando, siue præordinando nobis in salutem secundum beneplacitum suum, & aptitudo ad gratiam istam capiendam effectus sunt prædestinatio- nis antecedentis, quæ est bonitatis Dei, ad quam prædestinationem pertinet hæc bonorum operum præparatio. Rursus hæc ipsa bo- na opera computantur nobis gratis ad iustitiam. Quæ cum sit ex- tra nostram potestatem, solus enim Deus est, qui iustificat impium. hanc rursus prædestinat nobis, si quidem præcognouerit in nobis fidem, & opera. Quæ, vt dixi, ad hanc gratiam iustificantem iuste computantur secundum liberale pactum misericordiæ, & benignā promissionem benedictionis, quam fecit Deus filiis promissionis, idest, natis secundum spiritum ex fide per dilectionem in baptismo operata. Vnde quia ad voluntatem, iustitiæ pertinet, vt velit Deus secundum gratiam ex fide, & operibus, sicut promisit, benedicere, hæc prædestinatio benedictionis spiritualis promissæ, ad quā per- tinet iustificatio, peccatorum remissio, ac salus animæ, & hæreditas coelestis, dicatur prædestinatio iustitiæ, vel prædestinatio sequens, ꝙ vt supra dixi, merita nostra, quæ Dei dona sunt, sequatur. Quæ quidem prædestinatio alia sit à proxima superiore, non ꝙ Deus sit multiplex causa, aut in eo sit multiplex propositum voluntatis, siue multiplex prædestinatio, imo vna causa simplex est omni simplici- tate simplicior, vna prædestinatio, vna bona voluntas. Quæ multi- plicantur, vt ait Diony. Areop. secundum omnem nostram consi- derationem entium, ac secundum nostram participationem variā, ita vt multitudinem & differentiam, quę est in effectis, causæ tribua- mus. De hac ergo prędestinatione iustitię ait Apost. Qui elegit nos ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati coram ipso in charitate, idest, elegit ad iustitiam, & remissionem peccatorū Iustos enim non coram hominibus, sed coram Deo vocat sanctos si quidem iustitia, siue gratia iustificās, vt beatus Cyrill. in Cōment Esa. c. 44. diffiniuit, forma est ab spiritu sancto per sanctificationē,

& iustificationem animę immissa. Rursus quibus remissa sunt pecca ta, hos vocat immaculatos coram Deo, vt Dauid dicit de iis, quibus Deus imputat iustitiam sine operibus carnis. Beati, quorum remissę sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Quod autem paulo post sequitur, in charitate, legendum est ὑπερβατικῶς sic, elegit inquam in charitate, vt essemus sancti, & immaculati coram ipso. Quia enim dilectione bonitatis suę dilexit prior, ideo elegit nos, neq; enim ex debito elegit, sed ex misericordia, ac charitate. Vtrũq; enim coniunxit Apost. Eph. 2 cum ait, Deus autem, qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos, &c. Qui ergo nos prior dilexit dilectione antecedente, & bonitatis, idem nos iam eundem per virtutem, & gratiam eius diligẽtes elegit electione sequente. Vt rursus essemus dilecti eius excellentissima dilectione iustitię, & sequente, tanquam filii secundum spiritum, vt inq̃ essemus apud eum iusti, & sine peccatis, ac salui, hęc enim erat promissio benedictionis facta Abrae & semini eius, idest filiis promissionis. Sicut Zacharias pater Io. Baptistę interpretatus est in spiritu dicens, Iusiurandum, quod iurauit ad Abraam patrem nostrum daturum se nobis, vt de manu inimicorum nostrorum, idest à diabolo, & peccato, & morte liberati seruiamus illi in sanctitate, & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. Idcirco Apost. memor huius promissionis in Christo implete, sic coepit epistolam, Benedictus Deus, & pater domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nobis in omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo Iesu. Deinde subiungit, sicut elegit nos ante mundi constitutionem, idest ex ęternitate, ne scilicet cogitaremus vllam in Deo mutationem, aut nouitatem. Deinde explicat vim istius benedictionis spiritualis, ad quã elegit suos ante mundi constitutionem, quę consistit in iustitia coram Deo, & remissione peccatorum, salute animæ, ac gloria coelesti. Sed vt iam propius ad causas electionis diuinæ, quas demonstrare propositũ fuit, accedamus, priusquam hunc locum Apost. absoluamus, videamus quid scriptura dicat, cur dominus Abraam elegerit ad benedictionem istam, quæ spiritualis est, de qua hoc loco meminit Apost. vt simili ratione, & causa electos nos esse ad eandem benedictionẽ intelligamus. Non cęlabo (inquit) Abrae seruo meo, quæ ego facio. Abraam autem futurus est in gentem magnam, & multam, & benedicentur in ipso omnes gentes terrę. Et paulo post, & possidebit (inquit) semen tuum portas inimicorum suorum. Hęc est pro-

missio benedictionis, quam prædestinauit Deus ante mundi con-
stitutionem Abraæ, & omnibus, qui essent ex fide eius. Cuius quidē
benedictionis vis in hoc, vt dixi, cōsistebat, vt per iustitiam fidei ab
inimicis, diabolo, peccato, & morte liberatus hæres esset mundi, si-
cut idem Apost. ait. Deinde declarat scriptura, vt etiam Procopius
Gazæus vetus, & græcus auctor in cōment. Genesis notauit, causam
huius prædestinationis, & electionis Abraæ ad hanc benedictio-
nem, cuius nos sumus hæredes per fidem, tanquam filii promissio-
nis, subiungēs, Noui enim ꝙ præcipiet filiis suis, & domui suę post
se, & custodient vias domini, vt faciant iustitiam, & iudicium, vt ad-
ducat dominus super Abraam omnia quæcunq; locutus est ad eū.
Idest, vt tribuat Deus Abraę benedictionem, quam eidem promi-
sit, sciens bene operaturum esse, quam prædestinauit (inquam) se-
cundum pręcognitionem bonorum operum eius. Ergo quia prę-
cognouit Deus bona opera Abraæ, elegit eum ad benedictionem
istam spiritualem. Quod quidem non propter Abraam tantū scrip-
tum est, sed propter nos, quibus eadem benedictio, quę adoptionē
filiorum, iustitiam, remissionem peccatorum, & hæreditatem regni,
vt sępe dixi, continet, prædestinata est à Deo, si tamen præcogno-
uerit in nobis ex dono suo fidem, & opera, hæc enim sunt, quę no-
bis à Deo imputantur ad iustitiam. Conuenit cum his, quod bea-
tus Petrus iis, qui ex circuncisione erāt, locutus est. Vos (inquit) estis
filii prophetarum, & testamenti, quod disposuit Deus ad patres no
stros, dicens ad Abraam, Et in semine tuo benedicentur omnes fa-
miliæ terrę. Vobis primum misit Deus filium suum benedicen-
tem vobis, vt conuertat se vnusquisque à nequitia sua. Iis enim be-
nedicit iustificans, & remittens peccata, ac saluans, qui se conuer-
tunt à nequitia sua, idest, qui ex fide poenitentiā, & fructus dignos
poenitentiæ agunt. Vt paulo supra idem Petrus hortans ad hanc
benedictionē capiendam. Poenitemini (inquit) & cōuertimini, vt de
leantur peccata vr̃a, idest, iustificemini, & remissionē peccatoꝝ obti
neatis. Quod si eis benedicit dn̄s, nempe adoptando, iustificando, &
saluando, hæredesq; regni constituendo, qui vere se ad Deum con
uertunt, idest, qui agunt poenitentiam, & fructus dignos poeniten
tiæ, sicut in alio loco scriptura iubet, necesse profecto est, vt eis tan
tum huiusmodi benedictionē ex æternitate prædestinauerit, ques
hæc prius Deo donante facturos præcognouerit. Quare vt ad epi
stolam Pauli ad Ephes. redeamus, cum ait, elegit nos ante mundi
constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati coram Deo, intel-

ligere oportet, elegiſſe nos notos prius ſibi, hoc eſt ante approbatos, vt pote per gratiam eius bene operantes, ſicut ex epiſt. ad Romanos intelligere neceſſe eſt. Quos enim (inquit) præcognouit, hos prædeſtinauit, & elegit. Quid enim ſit in Deo præcognoſcere, rurſus ex eadem epiſtola ad Romanos c. 11. intelligi poteſt, cum ait, Non repulit plebem ſuam, quam pręcognouit, ſubiungit enim. An neſcitis in Elia quid dicat ſcriptura, quemadmodum interpellat Deum aduerſus Iſrael? &c. Et paulo poſt, Sed quid dicit illi diuinum reſponſum? reliqui ſeptem millia virorum, qui non curuauerunt genua Baal, ſic ergo in hoc tempore reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt. Ideſt, ſic reliquiæ, quæ Deum cognouerunt, & dilexerunt, ſicut illa ſeptem milia virorum tempore Elię, quæ Deum cognouerunt, conſecutę ſunt iuſtitiam, & ſalutem animarum, ad quam electę erant ſecundum beneplacitum eius. Reliquiæ igitur, quæ Deum cognoſcunt, & diligunt, qui enim non diligit, ſicut ait Ioan. non nouit Deum, qui eſt charitas, appellauit plebem ſuam præcognitam, cum dixit, non repulit plebem ſuam, quam præcognouit. Vt iam electionem Dei ad iuſtitiam, & ſalutem antecedat tanquam cauſa præcognitio fidei, dilectionis, & bonorũ operum, quæ ad iuſtitiam ipſam imputantur. Rurſus ꝙ hoc ſignificet in ſcriptura præcognoſcere, intelligi quoque poteſt ex eo, quod dominus ait in euangelio Ioan. Ego cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ. Vt iam ſi oues non eum cognoſcant, neq; ipſe dominus eas cognoſcat, ſicut dicturus eſt illis in die iudicii, nõ noui vos. Cognoſcere ergo in ſcriptura dicitur Deus eos, qui eum ipſi cognoſcunt, cognoſcunt autem, cum non verbo, ſed opere, & obedientia cognoſcunt, vt Clem. Alex. lib. 2. ſtromatum notauit γνῶσις (inquit) eſt ἐπιστήμη σύμφωνος τοῖς γινομένοις, ideſt, cognitio eſt ſcientia conſentiens cum factis, & lib. 3. γνῶσις, ideſt. cognitio eſt quædam diuina ſcientia, & lumen illud in anima ortum ex obedientia mandatorum. Tales ergo ſunt per Dei gratiam, quos elegit Deus ex miſericordia, ac charitate ante mundi conſtitutionem, vt eſſent ſancti, & immaculati coram ipſo, nempe præcogniti ſibi tanquam ſui. Sic etiam dixit idem Apoſt. 2. Timo. 2. Nouit dominus qui ſunt ſui, ii ſcilicet, qui eius mandata faciũt. Dixerat enim de quibuſdam hæreticis, quod quorundam fidem ſubuerterent, dicentes iam eſſe factam reſurrectionem, vt autem intelligeremus quales ii eſſent, quorum fides ſubuerteretur, ne quis eos excuſandos eſſe putaret, quaſi non eſſent in culpa, ſed potius tota eſſet in hæreticos

ſubuer-

ſubuerſores transferenda, vt inquam doceret iſtorum fidem ſubuerſam, quia non eſſent fundati, & confirmati in ea, & in charitate radicati, ſubiungit, ſed firmum Dei fundamentum stat. Fundamentũ Dei firmum vocat hic eos, qui ſicut idem Apoſtolus in epiſtola ad Coloſſ. ait, permanent in fide firmati, & immobiles ab ſpe euang. De quibus idẽ dominus apud Eſaiam, Depinxi (inquit) muros tuos in manu mea, ſic .n. est in ſeptuaginta. Electos eccleſię Dei, inquit Cyrill. vocaſſe muros, quos nemo poteſt de manu eius extrahere. Hos vocauit hic firmum fundamentum, hi enim ſunt, qui iuxta parabolam euangelii, ędificant domum ſuam ſupra petram, qui inquã audiunt verba Chriſti, & faciunt ea, ſic enim dominus interpretatus est. Hi inquam electionem, & vocationem ſuam tanquã fundamento fidei, ac bonorum operum firmant, ſicut beatus Petrus hortatur, vt faciamus βεβαίαν, id est, firmam vocationem, & electionem nostram per opera bona. Vt iam fides, & dilectio à Deo pręcognitę, ſint, ſicut Apoſtoli docent, velut fundamentum quoddam firmum electionis nostrę. Quare vt fundamentum cauſa est ſuperædificationis, ſic fides, & opera ſpiritus ex fide cauſa ſunt prędestinationis, vocationis, & iustificationis. Deinde quia nos per fidem, & opera bona ceu fundamento iacto electionem nostram firmamus facti muri electi in Chriſto, fidẽ vero, & opera bona ipſe dominus firmat, ac conſignat, qui ea nobiſcum in nobis operatur, & tanquã opera ſua cognoſcit, & ideo perire nõ poſſunt, neque amitti, idcirco de fundamento isto firmo, & electo ſubiungit, habens ſignaculum hoc, nouit dominus, qui ſunt ſui. Vt enim nos vere cognoſcimus Deum credendo in eum, & fidem eius per dilectionem operando, qui enim non diligit, non nouit Deum, ſic Deus cognoſcit nos operando in nobis, & nobiſcum opera ſua ſancta, eſt enim γνῶσις iuxta idioma ſcriptnræ ſanctæ σύμφωνος τοῖς γινομένοις, vt ſupra auctore Clemente iterum dixi. Vnde mirabili diligentia, & obſeruatione verbi vſus euangeliſta Ioannes de quibuſdam, qui abierunt retro, non dixit ἔγνω, ideſt cognouit, ſed ᾔδει, ideſt ſciebat ab initio Ieſus, qui eſſent non credentes, & quis traditurus eum eſſet. Ergo quos ſic in ſuis nouit Deus, hos ad ſanctificationem elegit, idcirco ſubiungit ſtatim, In magna domo non ſolum ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Puros, ac ſine dolo vocat vaſa aurea, vt ait magnus Baſilius, & eos, qui infra illos ſunt, vaſa argentea, eos vero, qui terrena ſapiunt, & apti ſunt ad frangendum,

fictilia, adhuc vero peiores, qui facile peccatis foedantur, & fiunt materia ignis, vasa lignea, illa quidem honorata, hæc vero contumeliosa sibi. Vt enim ait Ioan. Damascenus in eodem libro contra Manichæos explanans illum locum euang. Melius fuisset homini illi, si natus non fuisset, Deo vt pote bono conuenit dare bona, accipienti autem pudor, & dedecus est non seruare bona, quæ accepit, dedecus (inquit) & contumelia, nõ quidem propter dantem, sed propter accipientis culpam, & ignauiam. Ac Deus quidem, qui solus est bonus, non vult non præbere bona, qui autem non vult accipere, ipse est in culpa, facitque, vt quod accepit, quia non custodiuit, melius ei fuerit non accepisse, sitque contumelia potius, & probrũ accepisse. Hactenus Damascenus. Ne quis ergo cum Manichæis male de Deo auctore nostro sentiret, quasi ipse in causa esset, vt natura essent vasa aliqua in contumeliam facta, intelligeremusque, qui essent illi sui, de quibus proxime dixisset, nouit dominus, qui sunt sui, cognosceremusque causam, sine qua non possimus sanctificari, ac proinde neque ad sanctificationem prius eligi, subiungit. Si quis emũdauerit se ab his (facti enim sumus liberi, & potestatem habemus emundandi nos per Dei gratiam à passionibus ignominiæ, & contumeliæ) erit, inquit, vas in honorem sanctificatum, erit, inquam, vas electum ad sanctitatem. De istis enim dixit Apostolus, sicut elegit nos ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, siue sanctificati, & immaculati, idest, sine crimine per remissionem peccatorum. Elegit dico mundatos prius à passionibus ignominiæ, hoc est à peccatis, non enim aliter per iustificationem sanctificabimur, nisi emundauerimus nos à passionibus peccatorum, vel potius nisi gratia Dei nobiscum nos emundauerit. Quare non elegit nos Deus electione iustitię, esto, eligerit electione bonitatis, & antecedẽte, vt credamus, sed potius si nouerit nos ab incredulitate, & reliquis peccatis mundos, elegit ante constitutionem mundi secundum præcognitionẽ huiusmodi emundationis, vt essemus iusti, & sancti coram eo, & amici eius, & vt nostra peccata præterita non imputarentur. Hoc autem sic esse rursus intelligi pòtest ex epist. ad Coloss. c. 1. vbi eisd. verbis vsus est Apost. quibus ante in epistola ad Ephe. Nunc autem (inquit) reconciliauit vos in corpore carnis suæ per mortem, vt exhiberet vos sanctos, & immaculatos, & sine crimine coram ipso. Deinde declarans quomodo sanctificaturus esset eos, & eorum peccata deleturus, quomodo inquam iustificaturus, & eius mors profutura, subiunxit, si tamen permanetis in fide fundati, & stabiles, &

immobiles ab ſpe euangelii. Elegit ergo ad ſanctificationem iſtam eos, quos antenouit conſtanter, & firme credituros, & in fide, ac dilectione permanſuros, iſtis enim ſic obtemperantibus, ſicut ſcriptum eſt, factus eſt conſumatus cauſa ſalutis æternæ. Quod autem poſtquam dixit Apoſtolus, Si quis emūdauerit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, & vtile domino, ſubiunxit, ad omne opus bonum paratum, ne quis erret, non ideo ſubiunxit, quia ante ſanctificationem iſtam non bene operemur, cum bona opera ſint, vt in ſuperiore Dogmatico de Iuſtificatione copioſe demonſtrauimus, quæ nobis computantur in iuſtitiam, & ſanctificationem, ſed quia fructus vnus iuſtitiæ, & ſanctificationis inter ceteros eſt robur mentis ad reſiſtendum peccatis, & faciendum facilius, & promptius, ac fortius omne opus bonum. Quod Paulus Apoſtolus in epiſtola ad Ephes. c. 3. precabatur, corroborari, in homine interiore per ſpiritum ſanctum. Iuſtitia enim & ſanctificatio nihil aliud eſt, quàm participatio quædam ſpiritus ſancti, contra vero huius iuſtitiæ, ac ſanctificationis priuatio infirmos, & faciles ad peccandum facit. Vnde Eſaias c. 64. Tu (inquit) iratus es domine, ſcilicet propter peccata noſtra: deinde ſubiungit, & nos peccauimus, non quod ira Dei (inquit Cyrillus) ſit cauſa peccatorum, abſit, ſed quod peccata, propter quæ iraſcitur, ſint, vt idem ait, cauſa magis, ac magis peccandi. Conuenit præterea cum eis, quæ hactenus tanquam interpretes ex Paulo attulimus, id, quod beatus Petrus in principio prioris epiſtolæ ait, ſcribens enim ad reliquias Iſrael ſaluas, ſic eas ſalutat, Petrus Apoſtolus Ieſu Chriſti electis aduenis diſperſionis Ponti, &c. ſecundum præſcientiam Dei patris in ſanctificationem ſpiritus, in obedientiam, & aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti. Electos dicit ſecundum præſcientiam, quos enim præcognouit, hos prædeſtinauit, & elegit. Vt iam ex hoc quoque loco intelligere liceat, quod Paulus dixit in epiſtola ad Ephes ſicut elegit nos, ſic eſſe accipiendum, vt interpretati ſumus, ſicut elegit inquam nos præcognitos, ſiue ſecundum præcognitionem. Quod autem ſequitur, in ſanctificationem ſpiritus, in obedientiā, & aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti, declarat ad quid ſint prædeſtinati, & electi, non quidem vt credant, & diligant Deum, ſed ad hoc, vt mortem Chriſti, & eius vſq; ad mortem Crucis obedientiam participent, & per hanc participationem ſanctificentur, ac iuſtificentur. Quod clarius dixit Apoſtolus in epiſtola ad Coloſſ. Reconciliauit vos in corpore carnis ſuę per mortem, vt exhiberet

vos sanctos, &c. Electi ergo sunt ad baptismum, quo in mortem Christi baptizati sanctificationem spiritus accipiunt, ad quam sanctificationem, vt saepe dixi, & dicam saepius, non eligimur, vt credamus, sed potius credentes, baptizamur in mortem Christi, vt sanctificemur, siquidem baptismus est sigillum fidei, vt Hippolytus martyr in libro de consumatione saeculi ait. Ergo quos praecognouit Deus credituros, & fidem in baptismo operaturos, hos praedestinauit, & elegit ad sanctificationem spiritus per lauacrum regenerationis, qua efficimur filii Dei. Idcirco Apostolus quo magis declararet, quod in epistola ad Ephes. dixerat de electione nostra, vt essemus sancti, & immaculati, subiunxit, qui praedestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum, in ipsum, secundũ propositum voluntatis suae in laudem gloriae gratiae suae. Sanctificamur enim (vt dixi) per baptismum, quo regeneramur, & adoptamur in filios Dei. Qui vero sint, qui ad hanc gratiam adoptionis filiorũ praedestinati, & electi sint à Deo, declarauit quoq; Io. euangelista, cũ ait, dedisse potestatem filios Dei fieri, quibus? iis (inquit) qui credunt in nomine eius. Quare si secundum praecognitionem (quod nemo negarit) praedestinauit ad hanc gratiam, profecto quos praecognouit credituros, hos in adoptionem istam filiorum Dei praedestinauit, & elegit. Neque enim adoptamur in filios, vt credamus, sed potius credentes, & fidem per dilectionem in baptismo operantes adoptamur in filios Dei. Itaque quod sequitur, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt, non declarat, quibus dederit potestatem filios Dei fieri, neque enim est cum eo continuandum, quod ait, iis, qui credunt in nomine eius, sed potius declarat, qui sint isti filii Dei, quos fieri dedit potestatem credentibus, nempe ii, qui non naturali generatione, sed diuina, & spirituali nati sunt. Veniamus iam ad parabolam euangelii de operariis conductis ad colendam vineam, quę ad terrendos reprobos otiosos, & incitandum studium electorum laborantium adhibita est, quae mirabili energia praedestinationem atque electionem ex operibus bonis ob oculos ponit. Operationẽ enim mandatorum Dei vocat culturam vineae, pactum vero de benedictione, quod cum Abraam, & semine eius secundum Isaac, fecit ex fide, & obedientia, conuentionem. Deniq; denarium vocat iustitiam, in quam computantur opera non naturae, aut carnis, sed quae per Dei gratiam operamur in vinea eius colenda, idest mandatis eius faciendis. Quod vero in reddenda mercede, hoc est in impu-

tanda iustitia coepit à nouissimis, & pares eos fecit, iuste hoc factũ est, vt sanctus Nilus in epistola ad Agathium scripsit. Quia enim opere fuerunt pares, æqualem mercedem tulerunt, & quia breui spatio temporis illis se diligentia æquarunt, qui totũ diem ad remissius operandum habuerunt, prius ad remunerationem vocauit. Vt ex honore horum, & illorum pudore studium ignauiorum excitaretur, nihil enim aliud erat, ordinem istorum commutare, & ex primis facere nouissimos, & ex nouissimis primos, quàm horum quidem studium, illorum vero negligentiam demonstrare. In quo (inquit) visi sunt anteponi, qui tardius venerunt, ꝙ priorum diligentiam præ sua paruam esse demonstrarunt. Hactenus Nilus Chrysostomi discipulus. Subiungit deinde dominus post parabolam, Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi, significans, ꝙ studium & diligentia anticipationem temporis vincat, vt in vocatione gentiũ cernitur, & rursus anticipatio temporis infra studium, & diligentiã sit, vt in multis ex Israel electis euenit Deinde subiungit, multi enim sunt vocati, pauci vero electi. Quod ait multos fuisse vocatos, plane significat parabola, cum egressus esset pater familias ad conducendum, & aliquos cõduxit, qui in vinea laborarunt, multos etiam non conduxisse, quia vocati venire noluissent, & multos rursus cõduxisse, qui venerunt ad vineam, sed non coluerunt eam, imo potius deuastarunt. Quare quod ait, multi sunt vocati, de vocatis tantum vocatione antecedente, siue bonitatis ad vitam, quæ nunc est & quæ futura, qui sunt pauci, qui non saluantur, accipiendum est, non autem de vocatis vocatione iustitiæ, qui saluãtur, qui sunt pauci, vt ex euang. Lucæ. 13. intelligi potest. Cum enim quidam interrogasset, vtrum pauci essent, qui saluantur, respondit dominus, contendite intrare per angustam portam, vt scilicet saluemini, quod perinde est, quasi responderet paucos esse, qui velint ingredi per angustam portam, quod alioqui necesse est, si velint salui esse, paucos enim capit angusta porta, & via arcta, quæ ducit ad vitam. Vt iam angusta porta nõ solum designet asperitatem, & difficultatem, quę ob negligentiam nostram esse videtur, quare studio, & contentione opus esse ad intrandum, sed designet etiam paucitatem, vt magnus Basilius in cõment. Esaiæ annotauit. Eos ergo dixit paucos electos, qui contendunt intrare per angustam portam laborantes, & sudantes in cultura vineæ domini sabaoth. Deinde subiungit, Quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt. Atqui nemo neget, quin isti, qui intrare quærunt vocati sint, alioqui ne

intrare quidem quærerent. Non dixit contendent intrare, sed quærent, ideo enim non poterunt, quia non contendent, idest, non laborabunt in vinea domini. De his ergo ait nunc, multi sunt vocati, scilicet ad iustitiam, & salutem, qui quidem non faciunt vocationem suam firmam per opera bona. vt beatus Petrus ait. Qui inquã non faciunt gradus bonorum operum, quibus ad gratiam istam iustificantem vocatione iustitiæ secundum præcognitionem vocari possint, ad quam vocati sunt prius vocatione bonitatis, qua vult omnes homines saluos fieri, & qua vocat omnes, quantum bonitati eius conuenit vocare. Pauci vero sunt, qui iuste ad denarium gratiæ iustificantis, & viuificantis electi sunt, qui quidem ad gratiam istam vocati sunt, vt dixi, vocatione iustitiæ; siue vocatione sancta, nempe ex meritis, quæ Dei gratia in nobis nobiscum operata est. Est enim hæc vocatio secundum prædestinationem iustitiæ, prædestinatio vero iustitiæ secundum præcognitionem bonorum operum, quæ sunt cultura vineæ spiritualis, ex qua iuste secundum pactum beneplaciti sui elegit, & vocat ad denarium gratiæ iustificantis, & salutis animæ, ac remissionis peccatorum, tanquam ad mercedem gratuitam. sicut scriptum est. Quos præcognouit, & prædestinauit, vt conformes fierent imagini filii sui, quod fit per adoptionem filiorum, & quos prædestinauit, hos & vocauit ad istam gratiam adoptionis, & quos vocauit adoptando, hos iustificauit. Vt iã qui prædestinati sunt ad adoptionem, iidem sint electi. Prædestinatio enim, quod sæpe admonui, habet vim electiuam, vt ait Dionysius Areop. prædestinat enim eligendo. Et qui electi sunt ad adoptionem, iidem electi sint ad iustitiam & vitam, qui enim adoptantur, hi iustificantur, & salui, ac liberi fiunt. Et qui electi sunt, iidem vocentur ad istam gratiam, cum ei placeat, qui elegit, hactenus de parabola. Superest, vt veniamus iam ad locum Apostoli nobilissimum de prædestinatione ex epistola ad Romanos cap. 8. Scimus (inquit) quòd diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, vt calamitates Iob, mala (inquit Hieronymus) esse videbantur, & contra patientiam eius conspirabant, sed quia diligebat Deum, gloriam (inquit) illi præparabant. Neque ante calamitates (inquit) collocutus est cum eo Deus, vt est postea, & quidem valde familiariter, tanquam amicus cum amico. Sequitur deinde, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti, declarat, quos dicat diligentes Deum, nempe eos, qui constanter permanent in dilectione, hi enim sunt prædestinati ad sanctificationem, & vocati

ad eam suo tempore, cum placuit ei, qui prædestinauit. Subiungit deinde, Quos enim præsciuit scilicet diligentes Deum, de his enim loquebatur, hos prædestinauit conformes fieri imagini filii Dei. Quos hic ait prædestinari conformes fieri imagini filii Dei, dixit idem Apostolus in epistola ad Ephes. prædestinari in adoptionem filiorum Dei, adoptamur enim in filios Dei, quando renascimur non ex semine corruptibili, sed ex spiritu sancto. Accipientes enim spiritum filii Dei viui, per lauacrum regenerationis efficimur filii Dei, & fratres Christi, vnde statim subiungit, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Fratres enim Christi sunt, qui in carne semel nati, iterum per baptismum nati sunt ex spiritu sancto, de quo conceptus est Christus. Spiritum sanctum hoc loco vocauit Apostolus imaginem filii Dei, vt magnus Athanasius in epistola ad Serapionem notauit. Sequitur. Quos autem prædestinauit scilicet ad gratiam adoptionis, siue regenerationis spiritualis, hos & vocauit, idest, adduxit ad gratiam istam. Habet enim (inquit Dionysius Areop.) prędestinatio vim ἀφοριστικὴν, καὶ ποιητικὴν idest, segregantem, & efficientem. Vnde Paulus de sua prædestinatione, Qui me (inquit) segregauit ex vtero matris meæ, pro eo ac si diceret, qui me elegit, antequā natus essem. Est enim virtus, & proprietas prædestinationis eligere, quod est quoddā genus segregandi. Virtus item, & proprietas prædestinationis vocare, idest facere, vt sit, quod idem Diony. dicit, παράγειν, idest, adducere ad hoc vt sit, hoc enim significat vocare, sicut scriptum est, Qui vocat ea, quę non sunt, tanquam ea, quæ sunt, idest, qui facit, quæ non sunt, vt sint, adducens ex nihilo ad esse, quod est creare, sicut magnus Athanasius Alexandrinus in libro de passione hunc locum interpretatus est. Sequitur, Quos autem vocauit ad gratiam istam, hos & iustificauit. Hunc eundem ordinem videtur quoque descripsisse Oseas propheta, vt beatus Cyrillus in comment. huius prophetæ obseruauit. Ait enim de ecclesia electorum, Seminabo te mihi, & diligam te, vtrumq; conuenit Deo, qui prædestinauit in adoptionem filiorum ex semine incorruptibili spiritus sancti, & elegit ad gratiam amicitiæ, & dilectionis suæ. Sequitur. Et vocabo nō populum meum populum meum. Hoc quoq; conuenit Deo, qui vocauit in gratiam istam, & fecit, vt essent Dei, qui non erant. Deinde subiungit. Et ipse dicet, Deus meus es tu. Atqui facere, vt hoc dicere possimus, Deo iustificanti conuenit. Qui enim vocatus est ad gratiam iustitiæ, hic factus est Dei, & Deus eius, si quidem prop-


prium eſt iuſtitiæ vnire animam cum Deo, & Deum cum anima, quæ vnio ſalus animæ eſt, & dicitur, vt magnus Dionyſius in eccl. Hierarch. tradit. Locus admonet, vt deſcribam hic quæ Fauſtus lib. 2. de libero arb. de ratione præſcientiæ, & prædeſtinationis iuſtitiæ aptiſſime ſcripſit, præſertim ſi pauca mutaſſet. Illa (inquit) præuidet merita, hæc præordinat præmia, præſcientia ad potentiam, prædeſtinatio ad iuſtitiam pertinet, præſcientia de alieno ſubſiſtit actu, prædeſtinatio autem de iudicio ſuo, illa facinus manifeſtat, hæc cōdemnat. Melius dixiſſet, illa opera bona manifeſtat, hæc abſoluit. Sequitur, illa teſtis, hæc iudex eſt. Cum illa pronunciauerit cauſam, tunc pronunciat iſta ſententiam. à præſcientia quę ſunt noſtra, produntur, à prædeſtinatione, quæ ſunt, præparantur, ac niſi præſcientia explorauerit, prædeſtinatio nihil decernit. Hactenus Fauſtus. Quòd autem dicit merita antecedere prædeſtinationem, & paulo poſt noſtra appellat, non ſic intelligendum eſt, quaſi poſuerit ille, aut nos ponamus ſanctificationis, ac iuſtificationis iſtius prędeſtinatæ merita ſecundum debitum, quæ ſunt opera carnis. & naturæ, ſed potius merita ſecundum gratiam, quæ ſunt opera Dei, quę ille nobiſcum in nobis operatur, & operata in iuſtitiam, & ſanctificationem ſecundum gratiam ſuam computat gratis, ſuntq; cauſa prędeſtinationis, & electionis, non quidem συνεκτική, ideſt cauſa continens ipſius effectus, quę vt Clemens Alexand. in libro de cauſis tradit, ſimpliciter, & proprie eſt cauſa, ſed ſunt cauſa adiuuans, & ſine qua non, quæ non eſt (inquit) cauſa ſimpliciter, eſt tamen cauſa, quia ſine ea nō cōtingit fieri effectū. De cauſa vero adiuuante ſcribit Aris. lib. 2. de anima συναίτιον πῶς μέν ἐστιν, οὐ μὴν ἁπλῶς γε αἴτιον ideſt, cauſa adiuuans non eſt ſimpliciter, ſed quodammodo cauſa. Ad hoc genus cauſæ, ſine qua nō, tradit idē auctor ptinere cauſam materialē, item aptitudines, ſiue diſpoſitiones, pręterea inſtrumēta. Hęc qui nō notarunt, neq; diſtinxerūt, abſurdū eſſe exiſtimarūt cauſam diuinę voluntatis in creaturis ponere. Eſſet quidē perabſurdū, fatemur, ſi cauſam συνεκτικὴν & αὐτοτελῆ, vt philoſophi vocant, id eſt, continentem, & perfectam poneremus, at non ita, ſi cauſam, ſine qua non & adiuuantem adiungamus voluntati Dei, qui eſt cauſa continens, & perfecta. Qui (vt beatus Io. Damaſcenus in libro de imaginibus ait) omnia à ſe prædeſtinata in voluntate ſua expreſſit, & effigiauit, ſicut cum aliquis (inquit) ædificaturus domum, prius formam eius in mente deſignat. Ergo vt ad locum Apoſt. & Oſeæ redeamus, ſi de quibus propheta dixit, vel potius dominus per pro

phe-

phetam, feminabo, & diligam, & vocabo populum meum, hos Apost. ait eundem dominum prædestinasse, & elegisse tũ ad hoc, vt faceret filios suos secundum spiritum, ac proinde Christi fratres, quod est seminare eos secundum spiritum, siue ex semine incorruptibili spiritus sancti generare, tũ adhoc, vt tanquam filios diligeret, sic autem diligit Deus non nisi credentes in eum, & eum diligentes. Ergo quos præcognouit diligere Deum, sicut ipse Apost. dixerat, diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, subiungens deinde, nam quos præsciuit scilicet diligere Deũ, & omnia illis cooperari in bonum, hos profecto prædestinauit, & elegit ad istam gratiam adoptionis, & dilectionis tanquam filiorum. Non ꝙ prius nos dilexerimus, aut aliquid ei prius demus, vt retribuatur nobis, absit, quod enim quærimus, petimus, pulsamus, vt accipiamus, vt aperiatur nobis, & ꝙ credimus, & diligimus, ipse est principium, & auctor. Vt iam secundum voluntatem bonitatis suæ, sicut Apostolus ait, ipse sit, qui prior diligit, quæ dicitur ab ecclesiasticis patribus voluntas προηγουμένη, idest, antecedens, quę, vt dixi, etiam voluntas bonitatis, cuius meminit Apostolus, à Damasceno vocatur, de qua idem ait accipiendum esse quod idem Apostolus ait de Deo, velle omnes homines saluos fieri. nihil enim est, vt sæpe dixi, quod facere bonitati eius conueniat, vt salui fiant omnes, quod non fecerit, & faciat semper. Alia vero est voluntas, quæ dicitur voluntas ἑπομένη, quam idem Damascenus in Oplotheca aduersus Manichæos voluntatem quoque iustitiæ vocat, qua bonos bene, & malos male afficit. Secundum hanc iuste prædestinat, & vocat in gratiam suam secundum præcognitionem fidei, & bonorum operum, quæ idem voluntate bonitatis suæ præparauit nobis. Eos enim iustificat, & sanctificat, vt iustum est, quos nouit in fide, & dilectione Dei permanentes, vt sit ipse iustus, & iustificans eum, qui ex fide est. Secundum vero bonam voluntatem, siue beneplacitum bonitatis suæ ipse prior parat voluntatem nostram ad beneoperãdum operans in nobis (sicut scriptum est) velle, & perficere bonum, pro bona voluntate, siue pro beneplacito suo, idest, quod ei beneplaceat. Et in epistola ad Thess. 2. c. 1. oramus (inquit) semper pro vobis, vt dignetur vos vocatione sua Deus, idest, vt vocet vos in gratiam suam, vt faciat inquam vos iustos, & sanctos, quod fit secundum beneplacitum iustitiæ eius, vocat enim quos nouit aptos, & dignos vocatione iustitiæ. Quia vero digni esse non possumus, nisi Dei gratia in nobis operetur hanc dignitatem, & idoneitatem operan-

do velle, & perficere pro bona voluntate, idcirco subiungit, & impleat in vobis omnem bonam voluntatem bonitatis suę, siue omne beneplacitum, ac prædestinationem bonitatis suæ, idem enim verbum εὐδοκίας varie vertit interpres. Addit deinde, & impleat opus fidei in virtute, fidem, & opera ex fide complectitur, fidem, inquam: quæ per dilectionem operatur, sicut Apostolus ait. Virtus enim fidei est operatio, & exercitatio eius in mandatis faciendis, sicut anima est tota virtus corporis, sine operibus enim infirma, & sine virtute est, imo vt Iacobus frater domini ait, mortua est. Libenter quæ necessaria sunt repetimus. sicut ait scriptura, eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, Vobis autem necessarium, imo etiam quidam ex huius sæculi sapientibus, quæ pulchra essent, sæpe repetere præcepit. Iam cui hæc, quæ hactenus à nobis tradita sunt, probabuntur, facile intelliget vt alios scholasticos omittam, qualia sint, quæ Thomas 1. q. 23. art. 4. de prædestinatione agens tradit, idemq; facile, aut correctionem adhibebit, aut explanabit, vt cū ait, prædestinatio præsuponit electionem, cum sit potius electio virtus, & proprietas prædestinationis, est enim vt Diony. ait prædestinatio ἀφοριστική, idest, segregatiua, siue electiua, proprietas autem nō antecedit id, cuius proprietas, & virtus est. Rursus quod statim ait & electio præsuponit dilectionē, distinctione opus est. dilectio enim diuina alia est, vt dixi, bonitatis, alia iustitiæ, quæ bonitatis quidem est, antecedit electionem iustitiæ, vnde dilectio antecedens dicitur, quæ vero iustitiæ, sequitur. Ad hanc enim dilectionem iustitiæ, idest vt diligat iuste tanquam filios secundum spiritum, eligit diligentes se, iustum enim est vt diligat diligentes, vt ipsa sapientia ait, Ego diligentes me diligo. Non quidem q; nos eum priores dilexerimus, aut prius ei dederimus, vt retribuatur nobis, absit, imo potius ipse bonitate sua nos prior dilexit largiens de fonte benignitatis, ac largitatis suæ, vt in eum crederemus, & eum diligeremus. verum iis, qui in eum iam per gratiam eius credunt, eumq; diligunt, rursus dat, vt iustum est, potestatem, vt filii eius fiant, q; si filii, ergo hæredes, & dilecti excellentiore dilectione, quæ est dilectio iustitiæ. Qui ista distinguat, & obseruet, cetera, quæ idem Thomas addit, facile corriget. Quale est illud in eodem ar. prædestinatio aliquorum pręsuponit secundum rationem, quòd Deus velit dare illi salutem, ad quod pertinet dilectio, & electio, imo vero ad hoc prædestinat eligendo aliquem, nempe vt diligat eum tanquam filium, & tanq̄ filio det hæreditatem salutis, idq; secundū præcognitionē

Dei, & operum fidei, ex quibus si iustificatus est, ergo vt inde iustificaretur, ex æternitate decretum est, quæ est prædestinatio secundũ præcognitionem. Item illud, quicquid est in homine ordinans eũ in salutem, cõpræhenditur totũ sub effectu prædestinationis, etiã ipsa præparatio ad gratiã opus est distinctione, præparatio enim ad gratiam effectus est prædestinationis antecedentis, quæ dicitur prædestinatio bonitatis, nõ autem effectus prædestinationis sequẽtis, quæ est prædestinatio iustitiæ, cuius effectus est adoptio filiorũ, iustificatio, sanctificatio, ac salus animæ, & hæreditas cęlestis.



SED quoniam ii, qui omnem causam prædestinationis de medio tollunt, illud in primis iactant, & opponunt, quod Paulus Apostolus in epist. ad Roma. locum Malachiæ prophetæ secundum spiritum interpretans ait, cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui sequitur, vt huuc locum sic explanemus, vt idem ea, quæ hactenus de causa electionis diuinæ attulimus, non solum non infirmet, sed potius confirmet. Repetam vero altius locum, & persequar longius, ꝙ totum fere caput per obscurum sit, & valde difficile, tum ad ea, de quibus agimus magnopere pertinens. Solet ergo Apost. mirabili prudentia, & studio, cum opus est, occasiones calumniæ omnis præcidere, ac præcauere, vt cum docebat paulo supra maiores sub lege reprehensiones culpa sua Iudæos incurrisse, quo legis gratiæ, ac libertatis laudem, & virtutem magis declararet. Ne vero Iudæi legem reprehendi existimarent, neue hæretici ex comparatione legis cum gratia falso idem suspicarentur, legis vtilitatem demonstrauit, multisq; eam laudibus ornauit. Sic nunc idem Apostolus quia gentibus prædicabat salutem, adoptionem filiorum Dei, hæreditatem regni, benedictionem, gloriam, electionem, liberationem, dilectionem, & alia huiusmodi, quæ in pacto, & foedere Abraæ audiebant, ne hoc Iudęi cum promissionibus Abraæ factis discrepare arbitrarentur, quasi gentes alienæ essent à pacto diuino, idcirco necesse habuit testimoniis prophetarum, & veteris scripturæ exemplis demonstare, non ita esse, quin potius promissiones patrum ad gentes pertinere ex fide, ab eis autem exclusos esse Iudæos propter incredulitatem, verissimaq; esse Dei promissa. Accusaturus itaq; illos, suam erga illos charitatem

prius ostēdit, sicut dominus per Malachiam prophetam, quem hic Apost. & citat, & sequitur, peccata populi Israel reprehensurus, & eum à benedictionibus exclusurus, statim in principio prophetiæ, Dilexi(inquit) & quæ sequuntur. Similiter Paulus à sua in eos dilectione coepit, Quoniam tristitia (inquit) mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. inchoata est, & inabsoluta oratio, tū quo magis dolorem exprimeret, tum vt inuidiam verborum suorū, quibus oratio complenda erat, in principio declinaret, addenda enim erat causa tristitiæ, & doloris, ita vt diceret, quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo propter perfidiam, & eiectionem Iudæorum, quam sententiam paulo post complet verbis scripturæ sanctæ, quæ inuidiæ minus habitura esse videbantur. Sequitur, Optarem enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, ego ipse(inquit) qui modo ita magnifice de charitate locutus sum, vt dicerem, neque vitam, neque mortem me posse à charitate Dei separare, ipse inquam, si fieri posset, & liceret, vt me pereunte, tum fratres mei salui fierent, tum Christus glorificaretur, optarem à Christo separari. Quod quidem quia fieri non poterat, non simpliciter optauit, sed per hypotesim dixit, vt Photius Constantinop. notauit, qua hypotesi vsus est ad declarandum ardentissimum desiderium salutis eorum. Similis hypothesis est illa in epistola ad Gala. vellem apud vos esse modo, scilicet si possem. idem enim vtrobiq; modus temporis, hic ηὐχόμην, illic ἤθελον. Deinde vt suæ tantæ erga eos charitatis causam redderet, subiungit, qui sunt cognati mei secūdum carnem, qui sunt Israelitæ, quorum adoptio filiorum, & gloria, & testamenta, & legislatio, & cultus Dei, & patres, ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia benedictus in sæcula, amen. Quæ perinde sunt, quasi diceret, optarem fieri, si fieri posset, pro salute meorum fratrū anathema à Christo in laudem gloriæ ipsius Christi, qui ex patribus eorum natus est secundum carnem, in quo illis benedictio promissa est, & adoptio filiorum, ac gloria. Quare quod ait, optarem anathema esse à Christo pro fratribus meis, non significat diligere fratres supra Christum, imo vero Christum, eiusq; gloriam ita diligere, vt non dubitaturus fuisset ab eo alienari, ac separari in gloriam ipsius pro salute suorum, si fieri posset. Sequitur, Non autem quod exciderit verbum Dei, non enim omnes, qui ex circuncisione sunt Israel, ii sunt Israelitæ, neque qui semen sunt Abraæ, omnes filii. Non (inquit) hoc dixi, quod optarem anathema esse, vt salui fierent fratres, quasi si non sint

salui, irrita sit, aut esse possit Dei promissio, qua dictum est Abraæ in te, & semine tuo benedicentur omnes gentes, non sic est (inquit) sed ideo dixi, vt ostenderem studium meum, & charitatem in eos, & desiderium salutis eorum. Ergo quod ait, non autem quod exciderit verbum Dei, simile est atque illud in eadem epistola, quid enim, si quidam eorum non crediderunt? nunquid incredulitas eorum fidem Dei euacuauit? absit. est autem Deus verax, scilicet in promissionibus suis. Ad eandem quoque sententiam pertinet illud paulo post, sine poenitētia enim sunt dona, & vocatio Dei, loquitur enim de vocatione electorum ad gratiam adoptionis filiorum Dei per fidem, de qua vocatione dictum est, quod statim subiungit Apost. In Isaac vocabitur tibi semen; quæ ad omnes in fide Christi, & dilectione permanentes pertinet, hi enim sunt filii promissionis, & hæredes mundi. Quod quidem probat testimonio scripturæ, quæ non dicit, vocabitur tibi semen in Ismaele, qui secundum carnem natus est, qui persequebantur Isaac, vt Apostolus scripsit Galatis, sed in Isaac, qui secundum spiritum, ita vt filiorum Abrae, qui nati sunt secundum spiritum, exemplum, & parabola sit Isaac, vt idem Apostolus ad Hebræos scripsit. Propositum itaque paulo est, docere non filios carnis, in qua Iudęi gloriabantur, esse filios Abraæ, sed in Isaac vocari semen Abraæ, sicut dicit scriptura, idest, eos esse filios Abraam, quod ad gentes quoque ex fide pertineat, qui opera Abraæ faciunt, sicut dominus dixit in euāgelio, qui inquā imitantur Abraam, qui credendo promissioni Dei dicentis, post hoc tempus veniam, & erit Saræ filius, accepit à Deo filium, & rursus credendo promissioni Dei de multiplicatione seminis, & quod à mortuis suscitare posset, & obediendo voci eius, qui filium immolare iusserat, rursus eundem filium velut iam mortuum secundum propositum immolationis à Deo recepit, vt esset parabola, & exemplum filiorum Abraæ secundum spiritum. Hoc enim significat quod dictum est Abraæ, in Isaac vocabitur tibi semen, sicut Apostolus in epistola ad Hebræos c. 11. & in epistola ad Gala. c. 4. interpretatus est. Qui enim credit Deo, & obedit mandatis eius, vt Abraam, hic efficitur filius Dei, & filius promissionis eius, sicut Isaac fuit filius non quidem naturæ, quæ neque primum quidem generare illum potuit, vt pote sterilis, & effoeta, neque iam mortuum secundū propositum immolationis, in vitam restituere, sed Dei, qui promissiones fecerat. Iidem itaque sunt filii Abraæ, filii promissionis, & filii Dei, & filii secundum spiritum, qualis fuit Isaac, in quo, vt dixi, tanquam

in parabola,& exemplo placuit Deo vocare femen Abraæ. natus eſt enim Iſaac non ſecundum carnem,ſed ſecundum ſpiritum,ſicut Apoſtolus ſcripſit Galatis . Ne vero quis ſuſpicaretur electum eſſe Iſaac propter Saram matrem liberam,vt naſceretur ſecundum ſpiritum,& vt tanquam filius Abraæ ex fide ſecundum promiſſionem Dei,forma,& exemplum eſſet filiorum Abraę,ſiue filiorũ Dei, & promiſſionis,ac non potius electum eſſe propter fidem ſuam,& obedientiam, ac pietatem , Iſmaelem vero contra eiectum eſſe ab hoc nobili ortu propter Agar matrem ancillam, ac non potius quia perſequebatur,vt Apoſtolus ait,eum, qui ſecundum ſpiritum natus erat, commemorauit Iacob , & Eſau eiſdem parentibus, & eodem concubitu ortos , quorum alterum ad hoc elegit, vt filius ſuus eſſet , & vt tanquam filium diligeret, alterum repulit, & ódio habuit . Cur autem illum elegerit , & hunc eiecerit , idem Apoſtolus licet paulo obſcurius interpretatur . Ergo cum nondum (inquit) nati eſſent , neque aliquid boni egiſſent , aut mali , ideſt, cum adhuc eſſent in vtero matris, cum nondum operari potuerũt ſecundum carnem,non ex operibus ſcilicet ſecundum carnem,illa enim opera plane tollit, quæ homo per ſe in lucem editus, & ſola naturali facultate operandi præditus efficere poteſt,ideſt,opera naturæ, quæ dicuntur opera ſecundum carnem , ſicut idem Apoſt. loqui ſolet,vt cum ait,quid ergo dicemus Abraam patrem noſtrũ inueniſſe ſecundum carnem? ſic enim legendum,'& intelligendum eſſe veteres auctores admonuerunt . Itaque non tollit opera Dei . Sequitur enim ſed ex vocante,ideſt,ſed ex Deo, qui vocauit in gratiam ſuam,ſicut idem Apoſtolus de ſe dixit,cum placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ,ideſt, qui me elegit antequam natus eſſem,& vocauit in gratiam ſuam, ideſt vt eſſem filius eius ex fide Ieſu Chriſti, qua me de tenebris in admirabile lumen ſuum vocauit ad illuminandos etiam alios per me,quod ſtatim declarat ſubiungens,vt in me reuelaret filium ſuum, Similiter vocauit Iacob in gratiam ſuam,ideſt adoptionis,iuſtificationis, & ſanctificationis nõ ex operibus naturæ,ſed ex fide,quæ eſt opus Dei,& noſtrum,vt ſemen Abraæ ſecundum ſpiritum ex fide factus , hæres fieret benedictionis ſpiritualis Abraę patri omnium promiſſæ,cui dictum eſt, quia obediſti voci meæ, benedicentur in te omnes gentes . Ergo non ex operibus (inquit) ſed ex vocante, ideſt, non ex operibus, quæ homo ſecundum naturam iis viribus ſolis, quas ex ortu carnali ducimus,facere poteſt, ſed ex operibus bonis, quæ Deus qui vo-

cat,vt ſint ea,quę nõ ſunt,neq; eſſe poſſunt per naturam, tanq̃ cau ſa σωτηκὴ & perfecta in nobis operatur, nos enim cauſæ tantũ adiuuantes ſumus,dictum eſt ei,ideſt Rebeccę,maior ſeruiet minori, quodquidem ſignificabat, minorem præferendum eſſe maiori. Rurſus qd eſſet minorem pręferre maiori, declarat ſtatim Apoſt. nempe diligendum eſſe minorem tanquam filium Dei,imo iam ex æternitate dilectum eſſe, ita vt tanquam filius Abraæ ſecundum ſpiritum,cui dictę ſunt promiſſiones ſpirituales, eſſet dominus,& hæres mundi,& poſſideret portas inimicorum ſuorum,& maiorem repulſum, itaut tanquam ſeruus maneret extra domum liberæ,excluſus ab hęreditate,& ſubiectus.Idcirco ſubiungit,ſicut ſcriptũ eſt,Iacob dilexi,Eſau autem odio habui. Vtrunq; autem dictum eſt, vt ſcriptura teſtatur,non tantum propter Iacob & Eſau, ſed propter duos populos credentium,& non credentiũ,gentes enim quę poſt Iudæos per fidem vocatæ ſunt ad gratiã adoptionis,& benedictionis promiſſæ filiis,prælatæ ſunt Iudæis incredulis,& dilectę præ illis. Hic ergo eſt minor populus electorũ,cui maior, ideſt antiquior populus Iudæorum repulſorũ ſeruit.ideſt,ille huic tanquam dominus ſeruo prælatus eſt.Tales enim ſunt omnes electi Dei,qui in euãgelio paruuli, & puſilli appellari ſolent, qui tanquam ſapientes domini ſunt inſipientum reproboꝝ. Sicut ſcriptum eſt in pro. c.9. & 10. filius ſapiens inſipiente vtetur pro miniſtro, & rurſus c.11.ſtultus ſeruit ſapienti,& rurſus c. 12.quia electi iſti ſunt ſapientes, poſtquam dixit Salomon vir prudens thronus ſenſus, inſipientium autem execrationibus obuiabit,ſubiungit, manus electa facile dominabitur, doloſi autem erunt in direptionem, ſic enim eſt apud ſeptuaginta. Item beatus Petrus de electis ad gratiam adoptionis interpretatur, quod in Exodo ſcriptum eſt, vos autem genus electũ, regale ſacerdotium. Sunt ergo electi reges,& domini,ideſt, ceteris non electis ad hanc dignitatem regalem,& gratiam ſanctificationis, & dilectionis non ex operibus naturæ, ſed ex vocante per fidem, quæ eſt opus Dei,prælati.Quod idem Apoſt.Petrus declarauit,qui enim dixerat paulo ſupra, vobis igitur honor credentibus, paulo poſt de eiſd.ait, vos autem genus electum regale ſacerdotium,gens ſancta,popolus acquiſitionis,ideſt,acquiſitus a' Deo,& factus populus eius,ipſe enim vocat in gratiam ſuã. Deinde ſubiungit,vt annũcietis virtutes eius,qui de tenebris vocauit vos in admirabile lumen ſuũ,ideſt,lumẽ iuſtitiæ,ſicut Eſa.ait,tunc erumpet quaſi lumen iuſtitia tua,nõ dixit,vt annũcietis opera veſtra,& virtutes naturæ,quaſi

ad virtutẽ traheretur, vt quidã apud Diony. in diui nomi. c. 4. mur murantes volebant. Deinde quia ꝙ homo factus sit compos suarũ actionũ, & libera potestate ad bonũ & malũ, nõ ideo, vt ait idem Diony. in coele. Hier. c. 9. minus valet, aut habetior, tardiorq; est Dei gratia in nobis ad bene operandum, id autem ad potentiam, Dei summam, qui omnia potest, pertinet. idcirco addidit, & fortis in potentia. Sed reddeamus ad Paulum, absit (inquit) vt iniquus videatur, noluit differre depulsionem criminis propter summam inuidiam, & absurditatem eius, quare interiecta simplici inficiatione vnius verbi, absit, continuat accusationem illius, qui crimen iniustitiæ, quod Deo intendit, auctoritate scripturæ probari vult. Moisi enim inquit, misereor, cuius miserebor, & miserabor quem miseror quod quidem non recte intelligenti ad solam libidinem voluntatis more nostro pertinere videatur, quasi non omnes viæ domini sint iudicia, sicut scriptum est. Ex quo concludit iste, Igitur non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis, quasi non esset data hominibus potestas filios promissionis fieri, sed id totum ex Deo tantum penderet, nihil in eo nobis agentibus. Rursus alia auctoritate intendit iste causam suam, idest accusationem Dei probabilemm facere, subiungens, Dicit enim scriptura Pharaoni, quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra, quod rursus non intelligenti fortasse videatur, quasi Deus sit causa obstinationis in peccato, ac proinde causa, vt aliquis non sit filius Abraæ, siue filius promissionis secundum Isaac. Ex quo rursus concludit, igitur quem vult indurat, & cuius vult, miseretur. Concludit itaq; iste ex locis scripturæ veris, sed non recte intellectis veras conclusiones, sed nõ recte intellectas, vt statim demõstrabo. Finitis ergo sumpsionibus, siue propositionibus locorum scripturæ, & finitis conclusionibus, repetit Apostolus clarius quæstionem in principio positam. Dicis itaq; mihi, quid adhuc queritur, &c. Si nos, inquis, facti sumus ab eo domini nostrarum actionum, & libera potestate voluntatis ab eo creati malum facimus, & ipse miseretur, cuius vult, inique de nobis queritur, quis enim voluntati eius resistit? aut cur non facit, vt licet inuiti ad virtutem trahamur? huc enim spectabat istius, quem Paulus introducit, murmuratio, vt magnus Diony. in diui nomi. explicauit, hoc autem alienum est à Dei prouidentia, ac sapientia, cui placuit, vt homo esset electione bonus, quod quidem non esse sapienter factum, quis potest dicere? An (inquit) dicet figmentum

ei,qui se finxit, quid me fecisti sic? Qui sic excuset, ꝙ nō sit filius Dei, siue promissionis, vt dicat nō sum, quia mei qui alioqui liberam vo lūtatis potestatem habeā, non miseretur Deus, eius vero voluntati resistere non possum, vt quidam vulgo nunc excusare solent peccata, dicentes Deus non dat mihi gratiam, vt me ab hoc, aut illo peccato abstineam, qui inquam sic excusent, de Deo quasi iniusto, & insipiente queri videantur. Quodammodo enim dicunt, debere Deum trahere homines, vt quamuis nolentes faciant tñ opera Dei, ex quibus fiant filii eius. Itaqꝫ iniustum esse Deū, qui homines pote statis suæ compotes factos, qui vocantem sequi, aut nón sequi possint, alios reprobet tanquam malos, alios tanquam bonos eligat, præsertim cum nemo, nisi Deo miserente, operetur bonum, aut ma lum, nisi indurante, cuius autem velit misereri, misereatur, & cuius non velit misereri, sed indurare, induret. Quare si uelit homines probos esse, & bonum operari, debere, vt dixi, sic eos trahere ad vir tutem, vt quāuis inuiti, & nolentes, tamen virtutes Dei operentur, ex quibus ad adoptionem filiorum Dei vocentur. Qui autem hoc dicunt, quid aliud agunt, quàm reprehendere Dei prouidentiam? & dicere, cur sic me fecisti? id est, liberæ potestatis, & sic velle naturā hominis corrumpere. Sic videtur mihi interpretatus hunc locum Apostoli Dyon. Areop. in diui. nomi. c. 4. malis (inquit) quæ fiunt, vtitur diuina prouidētia bene ad eorum, qui operantur, aut aliorū vel supplicium, vel communem vtilitatem, quamobrem eorum ser monem vanum non approbamus, qui aiunt, ꝙ oporteret, vt prouidentia Dei nos vel inuitos ad virtutem traheret, deinde subiungit rationem, cur sermonem istorum non approbet, quia (inquit) corrumpere naturam non est prouidentiæ, prouidentia enim naturæ cuiusque custos est. hactenus Diony. Ergo quia is, qui aiebat, Quid adhuc queritur, voluntati eius quis resistit? perinde erat, quasi diceret, si me fecit Deus liberæ voluntatis, vt possim malum facere, & nisi Deo miserente, malum non facere non possum, ipse vero cuius vult miseretur, & voluntati eius non miserentis resistere nō pos sum, quid igitur queritur, si malus sum? iniuste me odit, cur enim non facit, vt quamuis nolim, virtutem operer? Quia huc tandem, vt dixi, spectabat accusatio, & querela, idcirco Apostolus accusanti prouidentiam Dei, quia sic hominem faciat, & gubernet, mirabiliter respondet, O homo, (inquit) tu quis es, qui respondeas Deo? an non ex nihilo factus? nonne terra, & in terram mutandus? admonet enim hominem conditionis, & fabricæ suæ, cum ait, O homo,

tu qui es? & vt illa secum cogitet, quæ Iob aiebat, agnoscens quis esset, & vnde factus, & quomodo, & à quo, & cuius prouidentia regeretur, & quo tenderet. Memento (inquit) ꝙ sicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me, nō ne sicut lac me mulsisti? coagulasti autem me, pelle, & carnibus vestisti, & ossibus, & neruis compegisti me, vitam, & misericordiam tribuisti mihi, & visitatio tua custodiuit spiritum meum. Deinde subiungit, vt est apud septuaginta, hæc cum in me habeam, noui, quòd omnia potes, impossibile est autem tibi nihil. Quis ergo es (inquit) qui respondeas Deo tuo, vni omnium auctori, cuncta potenti, & scienti? nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me sic fecisti? tales enim sumus nos, quos Deus more figuli in vtero matris tanquam lutum, vt ait sanctus Iob, manibus suis plasmauit. ¡Qui non debemus in Deum murmurare, quòd malos odio habeat, quos alioqui malos esse permittat, vt pote liberos, ac non potius per vim faciat bonos esse, quod à Dei prouidentia alienum sit. Prouidentia enim, vt ait idem Dionysius, est conseruatrix naturæ cuiusque. Est autem natura hominis, rationis participem esse, ac proinde liberæ potestatis, quæ si sublata eis sit, natura hominis corrumpatur. Est autem valde absurdum, vt opus ab auctore suo postulet, vt auctor ipse naturam, operis sui corrumpat, & se de imprudentia condemnet. Itaque cum ait Apostolus, Nunquid figmentum dicit ei, qui se finxit, quid me sic fecisti? exemplo eius, quod fieri nō potest, vt ait Theodorus Heracleotes in comment. Esaiæ c. 45. docet nos cedere prouidentiæ Dei sapientissimæ, & potentissimæ. Est enim quod ait, quid me sic fecisti, perinde quasi diceret, non sapienter me fecisti, vt dixit Esais c. 29. vnde hoc sumpsit Apostolus. Prædicens enim propheta electionem gentium ad gratiam adoptionis, quia crediturae, & fidem operaturæ erant, Iudæorum vero reprobationem propter incredulitatem, & malitiam, quia videbat in spiritu, quod nunc ait Apostolus, fore qui dicerent in Deum murmurantes, debere eum potius facere, vt omnes quamuis nolentes operentur bonum, vt sic omnes eligantur, idcirco ait, similiter vt Paulus. Nunquid dicit opus ei, qui se finxit, non finxisti me? aut figmentum suo fictori, non sapienter fecisti me? sic enim est in septuaginta. Deinde subiungit propheta, Non adhuc parū, trāsferetur Libanus, quasi Carmelus, & Carmelus in siluā reputabitur. Significat cultores idolorum, vt erant habitatores Libani, qui est mons in Phoenicia, futuros esse sponte cultores Dei Iudæorum, ac

proinde eligendos esse, Israelitas vero futuros esse similes habitatoribus Libani à Deo alienis, ad eandem sententiam pertinent, quæ in eodem propheta sequuntur. Redeo ad Paulum, sequitur enim, An non habet potestatem figulus, &c. Alia hæc quæstio est, quod si liberi (dicat aliquis) sumus ad bonum, & ad malum, profecto quod nõ omnes eligat, & vocet Deus, culpa Dei fortasse fuerit, quasi nõ possit sic factos eligere, & vocare omnes, respondet Apostolus, An nõ habet potestatem figulus ex eadem massa aliud quidem vas facere in honorem, aliud vero in contumeliam? quod perinde mihi esse videtur, quasi dicat, quod ait idem Dionysius Areopag. in coelest. Hier. c.9. οὐ δὲ διὰ τὴν τῶν προνοουμένων αὐτεξουσιότητα τὰ θεῖα φῶτα τῆς προνοητικῆς ἐλλάμψεως ἀπαμβλύνεται, idest, propter libertatem arbitrii in sequendo, aut non sequendo Dei prouidentiam, non hebetantũ diuina lumina adiutricis prouidentiæ. Lumina enim vocat multiplicem gratiam, & multiplex auxilium Dei, quæ beatus Iacobus appellauit donum, & datũ, cum ait, omne datum optimũ, & donũ perfectũ desursum est descendens à patre luminũ, in hunc enim locum Iacobi aspiciens diuinus Diony. statim subiungit, quæ sit causa, quod non omnes illuminentur, & alii magis, alii minus illuminentur, mentes (inquit) intelligentes pro sua varietate paternæ bonitatis illuminationem, quæ est infinita, aut omnino nõ admittunt sua duritia resistentes, aut admittunt quidem varie, aliæ multũ, aliæ tenuiter, &c. Quòd si libera potestas operandi bonum, & malum, qua præditi sumus, non hebetat Dei gratiam, neque extenuat, aut debilitat, sed nos potius vitio nostro debilitamur & infirmi sumus, potest ergo Deus, quãuis libera voluntate simus, vt sapiens figulus alios quidem, idest bonos, instar bonorum vasorum eligere ad honorem, eos dico, qui gratiæ eius deesse noluerunt, quòd in eorum fuit potestate, alios vero, idest malos, reprobare, qui voluerunt. Est autem hoc, quod ait, An non habet potestatem figulus ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam, sumptum ex alio c. Esa. 45. cũ ait, An dicet lutum figulo, quid facis, quia non operaris, neque habes manus? Sed repetamus paulo altius locum Esaiæ, vt ex conuenientia illius cũ hoc Pauli, sensum vtriusque eliciamus. Solet scriptura frequenter ex iis, quæ historice gesta sunt, tanquam ab imagine, & figura sermonem ad mysticos, & spirituales sensus apte, & commode trãsferre. vt hic Esa. à Cyro Rege Persarum, qui Babyloniis superatis & direptis, ac portis æreis iuxta prophetiam effractis, Iudæos nutu Dei seruitute liberauit, &

templum Hierusalem fundauit, transfert sermonem ad Emanuelem, quem misit pater, vt prædicaret captiuis remissionem, & coecis visum, & vt catenis peccatorum ruptis homines a diaboli tyrannide liberaret, & in suam, & Dei patris gratiam reconciliaret, suumq; templum, idest, ecclesiam ædificaret. Post prophetiam ergo de Cyro Rege, de aduentu Emanuelis veri Regis prophetare incipiens, lætetur (inquit) coelum desuper, idest angeli. Conuersio enim hominum in terra ad Deum singularem lætitiam angelis attulit, etenim si gaudent super vno peccatore poenitentiam agente, quis de eorum lætitia in salute cunctis credentibus allata dubitarit? Testis vero huius lætitiæ fuit illa in ortu Christi multitudo militiæ laudantiũ, atq; dicentiũ, Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus. Sequitur, Pluãt nubes iustitiã, Nubes spirituales sunt angeli, p quos descendunt consolationes spirituales instar pluuiæ in corda credentium. Nubes quoq; vocat (ait Cyrill.) sanctos mystagogos, idest, misteriorũ magistros, quorũ primitiæ fuerunt sancti Apostoli, qui cunctam terram lustrantes velut aridam, & sterilem prædicatione verbi, & doctrina euangelicæ iustitiæ irrigarunt, & frugiferã fecerunt. Sequitur, producat terra, & germinet misericordiam, & iustitiam germinet simul. Christum significat, qui factus est nobis in terra a Deo patre iustitia, & misericordia, qui per eum misericordiam consecuti sumus, & accepta remissione peccatorum iustificati. Sequitur, Ego dominus, qui creaui te, quid melius feci? qui formaui te, vt lutum figuli. In Christo enim semine Abraæ facti sumus noua creatura, renati sicut beatus Petrus ait, ex semine incorruptibili, qui est excellentissimus ortus, quo nos Deus, quos primum ex luto finxerat, postquam cecidimus, & fracti sumus, iterum more figuli in filios promissionis secundum Isaac refingit, sicut Hieremiã docuit, cum iussit ei descẽdere in domum figuli, qui faciebat (inquit) opus figuli, & dissipatum est vas, quod ipse faciebat ex luto manibus suis, conuersusq; fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis eius, vt faceret. Declarat autem deinceps Esa. quando hæc renouatio, siue reformatio facta fuerit, nempe cum venit fides, sicut Apost. ait, & cum cessauit lex, quæ data erat, vt instar aratri dura corda, & animos incultos Iudæorũ proscinderent, & sic ad semen euangelicæ iustitiæ excipiendum præpararet. Neque enim semper arandũ erat, si quidem lex data erat vsque ad tempus correctionis, cum omnia erant instauranda, & perficienda, gratia, & veritate per Christum allatis. Nunquid ergo ait, qui arat, tota die arabit terram? de-

inde quia dixerat dominus instar figuli refingam hominem, scilicet regenerando, & iustificando eum, quasi de hoc aliquis dubitaret, vt in euangelio dubitabat Nicodemus, tanquam fieri hoc nō posset, idcirco subiungit, an dicet lutum figulo, quid facis, quia nō operaris, neque habes manus? quod perinde est, quasi diceret, an non habet figulus potestatem faciendi ex luto quodcunque voluerit vas? Eadem sententia est, in Hieronymi interpretatione, sicut figulus iste, non potero facere vos domus Israel? Ergo vt ad Paulū reuertamur, An (inquit) non habet figulus potestatem faciendi ex eadem massa aliud vas in honorem, & aliud in contumeliam? Ac facere quidem vas in honorem non est aliud quàm eligere, & vocare ad honorem adoptionis filiorum, & ad gratiam sanctificationis, facere vero in contumeliam est damnare, ac reprobare. Quos autē faciat Deus huiusmodi vasa vel in honorem, vel in contumeliam supra docuit Apostolus, cum interpretaretur quod Abrae dictum est, in Isaac vocabitur tibi semen, idest, non qui filii (inquit) carnis, ii filii Dei, sed qui filii sunt promissionis, aestimantur in semine, promissio autem est per iustitiam fidei, sicut idem Apostolus ait. Fiunt ergo vasa in honorem, ex fide, quae Dei donum est, & vasa in contumeliam ex incredulitate, aut vitiosa, ac mortua fide, quod apertius docuit idem Apostolus in epistola ad Timo. 2. c. 2. Si quis (inquit) se emundauerit ab istis scilicet passionibus, malisq; operibus, erit vas in honorem sanctificatum, ex quo rursus intelligimus, qui se non emundauerit, erit vas in contumeliam reprobatum, & damnatum. Elegit ergo Deus ad sanctificationem, quos praecognouit emundaturos se à passionibus per fidem, quae corda purificat, sicut ait scriptura. Sed pergamus vlterius, sequitur enim, Si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa potentia vasa irae aptata in interitum, vt ostenderet diuitias gloriae suae in vasa misericordiae, quae praeparauit in gloriam, hyperbaton est Paulo familiare, dixerat enim supra O homo, tu quis es, qui respondeas Deo tuo, si volens ostendere iram, & notam facere, potentiam suam, & quae sequuntur, haec enim erat recta compositio, verum Paulus suo more cum nollet differre obiurgationem impudenter, & impie respondentis Deo, subiecit statim, Nunquid dicit figmentum? & quae sequuntur, quibus interiectis, continuat superiora, Admonet autem de hac compositione, & hyperbato, vel vnius verbi Deus repetitio, etenim si non fuisset facta interpositio, sic dixisset, O homo tu qui es, qui respondeas Deo, si volens

oſtendere iram, &c. ſed quia non pauca erant interpoſita, repetit verbum, Deus, vt admoneamur cõtinuandum eſſe cum eo, quod proxime dixerat, O homo, tu qui es, qui reſpondeas Deo, ſi Deus volens, &c. hactenus lectio, ſequitur interpretatio, quia dixit ſcriptura Moiſi, miſerebor, cuius miſereor, & alia ſcriptura Pharaoni, in hoc ipſum excitaui te, vt oſtendam in te virtutem meam, & annuncietur nomen meum in vniuerſa terra, calumniator iſte, quem Paulus intoduxit, neque intelligens quæ loqueretur, neque de quibus affirmaret, ſicut Apoſtolus de quibuſdam ait, concludebat, ergo cuius vult miſeretur, & quem vult indurat, ex quo rurſus concludebat, iniquum eſſe Deum, qui non omnes diligeret, & iniuſte queri de iis, quos odio haberet, idcirco Apoſtolus poſtquam reprehendit calumniatoris impudentiam, & impietatem, & exemplo luti, ac figuli docuit cedendum, & acquieſcendum eſſe prouidentię Dei ſapientiſſimæ, & præpotenti, nunc docendi gratia eiuſdem inſipientiam redarguit in eo, quod de Pharaone calumniabatur, quaſi Deus obſtinationis illius auctor fuiſſet, quod valde abſurdũ eſſe videbatur. O homo ergo (inquit) tu quis es, qui reſpondeas Deo, ſi volens oſtendere iram, quod perinde eſt quaſi diceret, quid habes, quod reſpondendo Deo, iuſte eum in Pharaonis induratione calumnieris, ſi ſuſtinuit in multa ſapientia, cum vellet oſtendere iram, & potentiam ſuam, ideſt quantum iraſcetur peccatis, & quàm illa grauiter punire poſſet, idq; non ſolum ad Pharaonis, & Aegyptiorum emendationem, ſed ad ceterorum omniũ vtilitatem, & exemplum, ſicut ſcriptum eſt in prouerb. peſtilente verberato ſtultus fiet prudentior, & iterum prudens videns poenas dantem valde eruditur, Item illud, impiis cadentibus iuſti timebunt, ſi inquam vt iram, & potentiam oſtenderet tum Hebræis, tum Aegyptiis, ſicut ait ſap. Salomon c. 16, de plagis Aegyptiorũ, vt ipſi (inquit) videntes ſcilicet Aegyptii ſcirent, quoniam Dei iudicio patiuntur perſecutionem, de Hebræis vero paulo ſupra, His autem (inquit) oportebat oſtendere, quemadmodum inimici eorum exterminabantur, ſcilicet propter tyrãnidem, quã proxime dixerat, cũ ait, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ, Pharaonẽ, & Aegyptios dicit, ſic enim ſolet appellare ſcriptura eos, quibus vtit̃ Deus tanq̃ inſtrumẽtis ad alios puniẽdos. ſic Hier. c. 50. appellauit Babylonios, qui Iudæam deuaſtarunt, & Iudæos duxerunt captiuos, Capta (inquit) es Babylon, & neſciebas, inuenta es, & apprehenſa, quoniam dominum prouocaſti. Deinde ſubiungit, Protulit dominus vaſa

iræ suæ, opus est domino exercituum in terra Chaldæorum, venite ad eam ab extremis finibus, aperite, vt exeant qui conculcent eã. Significat, vt Theodoritus in comment. huius prophetæ ait, non amplius vsurum se esse patientia in istis vasis iræ sustinendis, venisse enim tempus supplitii. Sustinuit itaq; diu Deus Pharaonem, & Aegyptios alioqui iam interitu dignos adducens sua illos patientia ad poenitentiam, sustinuit, inquam, vt eorum tyrannide, quam in Hæbræos exercebant, vtens in eisdem Hebræis propter idololatriam, & alia peccata puniendis, ad se eosdem Hebræos conuerteret, fierentq; vasa misericordiæ, id est digni, quos secundum præcognitionem suam eligeret, & vocaret ad gratiam sanctificationis, & iustificationis suæ, & iustificatos glorificare. Omnia enim quæ sub Pharaone passi sunt, cooperata sunt electis Hebræorũ ad salutem non solum tunc, sed postea cum reliquiæ eorum saluæ factæ sunt. Propter afflictionem enim sicut ait scriptura vociferati sunt, & ascendit clamor eorum ad Deum ab operibus, & audiuit gemitum eorũ, ac recordatus est foederis, quod pepigit cum Abraam, Isaac, & Iacob. Hoc autem foedus continebat promissionem adoptionis per fidem, & iustitiæ, ac gloriæ electorum non solum ex Iudæis, sed ex gentibus. Deinde subiungit scriptura, & respexit dominus filios Israel, & agnitus est eis, sic.n. est in septuaginta. Hoc ergo modo, & ratione sustinuit Deus vasa iræ aptata in interitũ, vt ostenderet diuitias gloriæ in vasa misericordiæ. Sic etiam Babylonios, qui erant vasa diuinæ iræ in Hebræos propter eorũ peccata, sustinuit patienter, vt differens eorũ interitum, quanquam iam eo digni essent, Hebræos interim, quos captiuos tenebant, ad poenitentiam per Babyloniorum tyrannidem conuerteret, & conuersos iustificaret, vt quidem conuersi sunt, vt ex Daniele, suo, & populi nomine peccata confitente intelligi potest, cooperabatur enim illa captiuitas Hebræis electis in bonum, neque solum iis, qui tunc erant, sed futuris etiam, cum reliquiæ saluæ factæ sunt, de quo quidem propheta Hieremias diuine admonuit, prophetans enim de interitu Babyloniorum, & liberatione populi ait, In diebus illis, & tempore illo venient filii Israel ipsi, & filii Iuda simul ambulantes, & flentes properabunt, & dominum suum quærent, & apponentur ad dominũ, foedere sempiterno. Et rursus paulo post, prophetans de eodem interitu Babyloniorum, subiungit, In diebus illis, & tempore illo ait Dominus, quæretur peccatum Iuda, & non inuenietur, quoniã propitius ero eis, quos reliquero, &c. Solet enim scriptura, vt supra

iterum

seruientes, eligit inquam ad adoptionem filiorũ, & iustificationem, vt facti filii,& sanctificati, ac iustificati rursus seruiant in sanctitate, & iustitia, ad quam electi sunt. Quare quos præcognouit seruituros non quidem ex se,suisq; viribus,sed ex Deo, hos ante constitutionem mundi,elegit ad gratiam dilectionis, & amicitiæ suæ,& sanctificationis.Item Esa.65.de eisdem electis,quemadmodum(inquit) si inueniatur vua in racemo,& dicatur,ne dissipes illum,quia benedictio est in eo,sic faciam propter seruientem mihi,huius causa nõ perdam omnes,& eximam,atque extollam semen Iacob,& Iuda.& hæreditabit montem sanctum meum, & hæreditabunt electi mei, & serui mei. Quem locum explanans beatus Cyrill. in comment. prophetæ huius, interierunt(inquit)Iudæi ab ira Dei,sed non oẽs, Iustus enim iudex non perdit cum impiis pios. Vtitur autem exemplo racemi,ex quo relinquitur vua, deinde admirantibus aliis introducit dominum loci,vel vineę dicentem, ne ledas, quoniam benedictio est in eo,sic ergo(inquit)faciam propter seruientem mihi, id est,tãta diligentia,& indagatione vtar, vt in vna ciuitate ceteris aliis ad perfidiam declinantibus,vel vnus fidelis,& obediens non me lateat,quin ex omnibus veniam consequatur,ne cum aliis pereat.Seruatus itaq; est Dei prouidentia, quicunque erat dignus salute per Christum. Et quidem Paulus reliquias Israel saluas factas esse ait secundum electionem gratiæ quasi ἀπολογάδην,idest, quasi delectũ habito ex cuncta regione Iudæorum. Hactenus Cyrill. propter seruientem(inquit)mihi non perdam omnes, & eximam,idest,eligã semen Iacob,& Iuda, & hæreditabit mõtem sanctum meum,idest, Hierusalem coelestem,& hæreditabunt electi mei, &c. Ergo quos præcognouit seruientes, hos elegit ex æternitate, seruientes dico, non quidem secundum naturam,sed secundum Dei gratiam. Idcirco enim ait, non quidem simpliciter propter seruientem, sed addidit propter seruientem mihi,idq; vt(sicut Apostolus ait) secundum electionem Dei propositum maneret, idest, vt prædestinatio esset nõ secũdũ debitũ,vt qdem esset,si ex operibus naturę esset,sed esset secundum electionem, idest,secundũ gratiam, cũ esset ex operibus Dei. Præterea cum Apost. dicat, non ex operibus, sed ex vocante electum esse Iacob ad gratiam adoptionis,& iustitiæ,dixerat autem proximo superiore capite, quos præsciuit, prædestinasse, & quos prædestinauit,vocasse,sequitur,vt præcognitos vocet, ostendimus autem supra ex scripturis, eos esse notos Deo, qui ei seruiendo, & obediendo placent. Quare si ex vocante factum est, vt Iacob dileę

ctus sit, ergo ex operibus, quibus Deo placebat, factum est, vt diligeretur à Deo, ea autem opera non sunt opera secundum carnem, sed opera Dei est, idest, quæ Dei gratia nobiscum operatur in nobis. Conferamus præterea cum his locum Esa. c. 44. de electis ex Israel propter fidem, & cõuersionem ad Deum. Nunc autem audi, inquit, Iacob puer meus, & Israel, quẽ elegi, sic dicit dominus Deus, qui creauit te, & plasmauit te de ventre, adhuc habebis auxilium, ne timeas, puer meus Iacob, hoc dicit, quia reprobi persequuntur electos, idest, nati secundum carnem, natos secundum spiritum, sicut Ismael psequebatur Isaac, & Esau Iacob. Sequitur, & dilectus Israel, quem elegi, non sic dilexit, vt eligeret, sed elegit, vt sic diligeret, nempe dilectione iustitiæ. Deinde subiungit, Quia ego dabo aquam in siti ambulantibus in inaquoso. Consolationẽ spiritus sancti, & vim eius viuificam comparat cum aqua, quæ facit crescere herbas, & stirpes, & qua nihil sitienti iucundius, neque quod magis recreet, hoc enim de spiritu sancto dici statim declarat scriptura subiungens, Ponam spiritum meum super semen tuum, & benedictiones meas super filios tuos. Ecce spiritum Dei, secundum quem nati sunt electi, & facti hæredes spiritualis benedictionis promissæ Abraæ, quem quidem spiritum non accipiunt, nisi per fidem dilectione operatã, sicut dominus dixit in euangelio Io. Qui credit (inquit) in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquę viuæ. Hanc enim scripturam Esaiæ dicit, vt ex interpretatione euangelistæ existimare licet, subiungit enim interpretans, Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes. Ergo quos præcognouit credituros Deus, & obtemperaturos, & ad Deum per poenitentiam redituros, hos elegit, quibus spiritum adoptionis filiorũ daret, & quos diligeret vt filios, Rursus enim in eodem capitulo de electis ad gratiam istam adoptionis, iustificationis, & remissionis peccatorũ, Formaui te (inquit) puerum meum, & tu Israel, ne obliuiscaris mei, ecce deleui sicut nubem iniquitates tuas, & sicut caliginẽ peccata tua, deinde vt doceret, vnde iustificaret, & iustificandos eligeret, subiungit, reuertere ad me, & redimam te. Ex conuersione ergo ad Deum, quæ fit per poenitentiam, & ex dilectione iustificatur homo, & redemptionem à peccatis, quibus venditus erat, reportat. Vnde autem iustificatur, inde vocatur ad iustitiam, & vnde vocatur ad iustitiam, inde electus fuit secundum præcognitionem operum bonorum, & beneplacentium, vt iustificaretur, ac sanctificaretur. Sed vt locũ de electione ex præcognitione fidei, & bonorum operum, qui infi-

nitus est, tandem finiam, & reliqua huius c. 9. persequar. describam
hic, quæ beatus Cyrillus optimus scripturæ sanctæ interpres in cō
ment. Malachię prophetę scripsit in hunc locum, quem Paulus ex
,, hoc propheta citauit, Dilexi, ergo dicit dominus, & dixistis, in quo
,, dilexisti nos? nonne frater Esau erat Iacob, dicit dominus, & dilexi
,, Iacob, Esau autem odio habui? cum dixisset (inquit Cyrillus) Deus,
,, dilexi vos, valde probabile erat, venire illis statim in mentem ca-
,, ptiuitatis, tamen οἰκονομικώτατα idest, prudētissimo cōsilio, silentio
,, prætermittit, quæ acciderant, & demonstrationem dilectionis suæ
,, erga Iudæos ad principium, atq; originem generis, idest, ad Iacob
,, reuocat, quem se ait dilexisse, odisse autem Esau alioqui fratrem. Vt
,, enim (inquit) ait Paulus, cum nondum nati essent, neq; aliquid bo-
,, ni egissent, aut mali, Iacob elegit, ex quo genus Iudæorum profe-
,, ctum est, Esau vero eiecit, ac reprobauit, sed non κατὰ πρόσκλισιν
,, sic mihi videtur vocasse, quam acceptionem personarum appella-
,, re solet scriptura, quæ est quædam sine ratione inclinatio, deinde
,, subiungit, non est enim iniustus Deus, neque iudicium de vllo in
,, terra facit inęquabile, aut ἐπραχθὶς sic rursus vocat iudiciū in gra-
,, tiā alterius corrupte inclinās, sed potius (inquit) cū pręcognitos ha
,, beret Deus vtriusq; mores futuros, meliorem dilexit, sicut Heremiā
,, anteq̄ in ventre formatus esset, cognouisse se ait, & antequā ex ven
,, tre exiret, sanctificasse, cognouit enim (inquit) futurum prophetam,
,, & aptum, atq; idoneum ad obeundum legationem, & prædictionē
,, futurorum faciendam, sic & nos ipsos ex fide iustificatos esse dicit
,, Apost. quos enim præcognouit, & predestinauit Deus conformes
,, fieri imagini filii sui, & hos vocasse, ac iustificasse dicitur. Ergo secū
,, dum pręcognitionem (inquit) dilectus est Iacob, & Esau iuste odio
,, habitus. Ait itaq; o Israel, dilexi quidem vos, non enim mentiar, si
,, hoc dixero. intelligetis aūt magis, quàm hoc sit verum, si reuocetis
,, dilectionem ipsam ad principium generis vestri. Ambo enim ex
,, Isaac. sed alter pius, & probus Iacob, alter durus, & paratus, ac prō-
,, ptus εἰς βεβήλωσιν Esau. Idcirco inclinaui animum ad Iacob, &
,, sortem, siue hæreditatem assignatam Esau destruxi, dediq; eam va-
,, stādam, & Iacob, idest, vos, siue regionem, quam habitastis, seruaui.
,, Deinde subiungit, hoc autem existimo, docere vult Iudęos hoc lo
,, co p prophetā Deus, dilexisse se quidem Iacob nō alia de causa nisi
,, q̄a fuisset simplex, & probus, odisse vero Esau, quia terrenis deditus
,, & profanus, neq; passuros, eos fuisse calamitates et vastitatē, si Iacob
imitari maluissent, sed q̄a Esau imitati essent, idcirco dedisse pęnas.

Hactenus Cyrill. mirabili itaque artificio, quod Malachias propheta, vel potius dominus per Malachiam post transactam vitę militiam, vt recte Faustus in libro 2. de libero arbitrio ait, de Iacob, & Esau commemorat, de præterito eorum actu diuinum proferens manifesta æquitate iudicium, hoc Paulus Apostolus nihil iam metuens, ne ad acceptionem personarum referri posset, ad illud tempus retulit, & ad illud pertinere interpretatus est, cum secundum præcognitionem operum bonorum Iacob, & secundum prescientiam malorum Esau dictum est, antequam nati essent, maior seruiet minori. quod perinde erat, vt statim declarauit Apostolus, quasi diceret, Iacob elegi, vt diligam tanquam filium, & benedicam benedictione filiis Dei promissa, in qua erat dominari inimicis suis, vt sunt reprobi inimici electorum, & Esau repuli ab hac electione. Idcirco enim postquam dixit, maior seruiet minori, subiunxit statim, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Quomodo enim quod scriptura dixerat, maiorem seruiturum esse minori, hoc probaret Apostolus dicens, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui, nisi in dilectione ista Dei contineretur dominatus, & in odio seruitus? clarissime ergo docuit Apostolus, quod Malachias dixit, spiritualiter intelligendum esse de dilectione Dei tanquam patris erga filios promissionis, & secundum spiritum natos, hæredes benedictionis spiritualis promissæ filiis Abraæ secundum Isaac, in qua erat dominari, & possidere portas inimicorum, & de odio Dei, idest, repulsa ab huiusmodi adoptione spirituali, & benedictione. Imo sic in primis accipiendum esse idem quoque propheta Malachias admonuisse mihi videtur, cum statim in ipso prophetiæ principio, quia continuo per personam domini dicturus erat, Iacob dilexi, Esau autem odio habui, vt secundum spiritum acciperetur dictum, Ponite (inquit) in cordibus vestris, dilexi vos, & quę sequuntur, sic enim est apud septuaginta, quod perinde est, quasi diceret, videte, quid audiatis, vt dominus in euangelio ait, cum parabolas loquitur, admonens, vt in sensum spiritualem intendamus animum. Et iterum c. 2. cum minatur Deus domui Iacob propter scelera simile odium, vt illud Esau, Quia (inquit) non posuistis in cordibus vestris, maledicam benedictionibus vestris, quod perinde mihi esse videtur, quasi diceret, quia noluistis intelligere benedictionem promissam Iacob, & semini eius spiritualem esse, & hanc in primis ex fide & obedientia quærendam, propter hancque illam secundum historiam benedictionem promissam esse, idcirco ego benedictio-

nes vestras carnales, quas adamastis, spirituali benedictione contempta, vertam in maledictiones, ita fiet, vt qui nō habetis fidei obedientiam, vt reputetur vobis ad iustitiam, & benedictionem cum fideli Abraam reportetis, benedictio etiam carnalis, quam alioqui habere videmini, vobis auferatur, sicut scriptum est, non habenti id ipsum quod habet, auferetur ei. Pertinebat autem ad benedictionem carnalem & historicam perpetua incolumitas populi Israel, & sicut scriptum est, liberatio de manu omnium, qui oderunt eum, & vt erat in promissionibus Abrahę, & semini eius factis, possidere portas inimicorum suorum, quodquidem Abdias propheta in Idumæis secundum historiam implendum esse his verbis prædixit, & possidebit domus Iacob eos, qui possederunt eum. Idumæos dicit ex Esau ortos, quod est maiorem seruire minori, quod ad odium, & maledictionem Esau secundum carnem spectat, vt etiam vastitas, qua Deus Idumæam regionem Esau affecit, de qua statim Malachias, postquam dixit, Esau autem odio habui, subiungit. Et posui terminos eius desolationem, & hæreditatem eius domos deserti. Qd si dixerit Idumæa, destructi sumus, sed reuertēes ædificabimus, quæ destructa sunt, hæc dicit dominus exercituum, ipsi ędificabūt, & ego destruam, quod perinde est, quasi diceret, ita omnia vastabo, vt si reuersi Idumæi loca diruta restituere voluerint, tamen nō possint. Deinde subiungit causam huiusmodi odii, & reprobationis, ac maledictionis, & vocabuntur (inquit) termini eius impietatis, & populus, cui iratus est dominus in æternum, quod perinde mihi esse videtur, quasi diceret, huc euasit impietas Idumæorum, & hanc calamitatem importauit ab exemplo, & imitatione Esau ducta. Hanc quoque deuastationem Idumeę regionis Esau, simul etiam causam eius prædixit Dauid his verbis, Memento domine filiorum Edon, (sic enim appellabatur Esau) in diebus Hierusalem dicentium exinanite, exinanite vsque ad fundamentum eius, fuerant enim socii, & adiutores Babyloniorū in deuastatione Hierosolymitana, quod Abdias propheta postea copiosius prophetauit prædicēs tota sua prophetia deuastationem istam Idumeę propter hanc impietatem. Ergo Malachias dilectionem Iacob, & odium Esau sic secundum carnem, & historiam accepit, vt sensum spiritualem non dissimularet, imo de eo statim in principio, vt dixi, admonuit, inquiens, ponite in cordibus vestris, Paulus vero secundum spiritum tantùm, vt propositi sui ratio poscebat, accepit in epist. ad Romanos, & in epistola ad Hebræos spiritualis quoque maledictionis Esau meminit;

cum ait, Pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum, contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei, ſcilicet ſanctificanti, & iuſtificanti, deeſt autem, qui eam peccato aliquo magno impedit, quod ſtatim declarat ſubiungens, Ne qua radix amaritudinis ſurſum germinans impediat, & per illam inquinentur multi. Ideſt, ne vlla radix peccati, ac damnationis, cuius fructus ſit amara mors, impediat, ne quis fornicator, aut profanus, vt Eſau, qui propter vnam eſcam vendidit primogenita ſua. Talis eſt quicunq; poſt gratiam baptiſmi maluerit facere voluntatem carnis, quam nõ deeſſe gratiæ, anteponens primogenituræ ſpirituali conſcriptæ in coelis paruam voluptatem. Sequitur deinde, Scitis enim quoniam poſtea volens hæreditare benedictionem reprobatus eſt. Niſi illa ſecundum hiſtoriam benedictio figura, & typus fuiſſet benedictionis ſpiritualis, & coeleſtis, quorſum illam nobis hoc loco cõmemoraſſet Apoſtolus? Noſtra enim benedictio non eſt carnalis, ſed ſpiritualis, & finis eius hæreditas in coelis. Ergo cũ ait, ſcitis enim, quoniam poſtea cupiens hæreditare benedictionem, & quæ ſequũtur, perinde eſt, quaſi diceret, videte, ne ſimiliter vobis eueniat, vt euenit Eſau, ne inquam benedictionem ſpiritualem amittatis, & ſemel amiſſam fruſtra poſtea requiratis, quia ſcilicet non recte poenitentiã agatis, ſicut videtis Eſau, quanquam doluerit, ac poenitentiam coeperit, amiſiſſe tamen benedictionem, quia ſcilicet non recte doluerit, neque recte poenituerit. Id enim ſignificat, quod Apoſt. ait, nõ inueniſſe poenitentię locum, quem alioqui dat Deus omnibus, vt eſt in ſapientia Salomonis, ſi eum velint, ſignificat, inquam, non inueniſſe ἀκολουθίαν ϗ εἱρμὸν μετανοίας, ideſt, non inueniſſe rectum ordinem, conuenientemq; rationem poenitentię, ſic enim Procopius Gazęus in comment. Exodi interpretatus eſt hunc locum, cũ c. 32. explanans illud, Eſt locus apud me, notaret diligenter in ſcripturis varias verbi loci ſignificationes. Itaq; non doluit Eſau, quia indignum ſe benedictione præbuiſſet, ꝙ gulæ deditus fuiſſet, vendens primogenita propter vnam eſcam, ꝙ fornicator, & profanus miſcens ſe cum alienigenis, ſed potius peccatum homicidii addidit, Appropinquent (inquit) dies luctus patris mei, vt occidam Iacob. Idcirco non ſolum benedictionem ſpiritualem à Deo non tulit, ſed carnalem etiam, quam habere videbatur, amiſit. Atque ad hunc modũ odio habitus eſt, ideſt, repulſus à benedictione Dei propter peccata ſua. Vt autem admoneremur, Deum non ſic odio habere, vt non etiam diligat dilectione bonitatis ſuæ, quem alioqui odio

habeat voluntate iustitiæ, qui nihil odit, sicut scriptum est, eorum quæ fecit, neque enim Deus odisse potest aliquid, quod velit esse, neque rursus esse potest quicquam, cuius non sit ipse causa, vt exi-stat. idcirco eidem Esau, quem odio habuit, benedictionem tamen aliquam licet paruam bonitate sua reliquit, vt scriptura testatur. Vt iam odio habere, sit minus diligere iuxta idioma scripturæ sanctæ, quæ postquam dixit de Iacob, dilexisse magis Rhachelem, quàm Liam, paulo post subiungit, vidēs dominus, ꝙ odio haberetur Lia, & quæ sequuntur.



HActenus de prædestinatione, & electione Iacob, & filiorum promissionis secundum Isaac, vt fuit Iacob, & de reprobatione Esau, & omnium, qui secundum carnem nati sunt, vt Esau. Sequitur, vt deinceps reliqua huius capitis persequamur, illa prçsertim, quç ad ea, quæ proxime dicta sunt, maxime pertinent. Docuerat enim Apost. non filios Abraæ secundum carnem operantes, esse filios Abraæ, & hæredes promissionum illius, sed qui ad exemplum Isaac essent nati secundum spiritum, ex fide Abraæ, quç Dei donum est, & ex operibus Abraæ secundum spiritum, quç dona item Dei sunt. Quare cum ad huiusmodi ortum secundum spiritū solus Deus vocet, qui solus potest mortuos suscitare, qui Isaac, qui secundū naturam carnis ex centenario, et ex vtero sterili nasci non poterat, solus vocauit, idest, fecit, vt esset, videatur fortasse non intelligentibus iniquus Deus, si eos libera alioqui potestate prædi-tos, qui non sunt nati secundum spiritum, vt Isaac, oderit, & exhæredet, eos vero qui sint, diligat, & hæredes mundi constituat. Numquid ait, iniquitas apud Deum? quasi ipse in culpa esse videatur, ꝙ non omnes vocet, neq; omnes faciat dignos sua dilectione, Absit (inquit) vt culpa assignetur Deo, quia fecerit liberæ potestatis, imo vero nostra est culpa, qui voluntate nostra nolumus vocari, neque diligi, sed potius odio haberi. Similis erat eorum accusatio, & querela, qui vt Diony. scribit in coele. Hier. c. 9. querebantur de aliarum gentium angelis præsidibus, quod non fecissent, vt gentes singulis eorum commissæ Deum cognoscerent, vt fecisset Michael, qui populo Israelitico præerat, quibus respondet Dionysius, non oportere accusare angelos præsides, sed potius gentes ipsas, quæ ab eis sponte, suoq; vitio doceri noluissent, vt aliquando populo etiam Israelitico euenerat, & sicut scriptum de eo est, notitiam Dei abiecisti, & post cor tuum ambulasti. Idem

iterum dixi,ex iis, quæ secundum historiam in figura contingebāt transferre sermonem ad mysticos sensus in historia illa figuratos, vt hic apud Hiere. ab interitu Babyloniorum, & illa Iudæorū sub Cyro liberatione transit propheta ad destructionem imperii diaboli,& redemptionem à seruitute eius,idest,à peccatis,& morte per Christum. Vt ergo ad calumniam istius, quem Apostolus introduxit, reuertamur, quid quæso in Deo iuste accusare queat, quasi induret,quem velit,vt in Pharaone suspicabatur,non intelligens scripturam? Quomodo enim indurauit,vt iste interpretatur,si sustinuit eum in multa patientia differens interitum eius, vt eum ad poenitentiam expectando, & tolerando adduceret? aut quomodo cuius vult miseretur,nihil nobis agentibus, vt iste rursus interpretatur, qui sic conclusit, Ergo non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis,si vasa ista misericordię præparantur prius bonis operibus,quę Deus in nobis libere cooperātibus operatur?de vasis enim istis misericordiæ,quæ elegit Deus ad sanctificationem,& iustitiam, ac gloriæ diuitias subiungit statim, Quæ præparauit in gloriam, quemadmodū vero præparauit,nisi fide,& bonis operibus, quæ in illis operatus est pro bona voluntate?præparauit dico,vt sic apti essent ad gratiā electionis,nempe si gratiæ isti credēdo,& fidem operando non deessent, de quibus fide scilicet, & operibus Apostolus ait in epist. ad Ephe. gratis saluati estis per fidem,& hoc non ex vobis,Dei enim donum est,neque ex operibus, Dei enim factura sumus,idest,Dei sumus noua creatura. Opera ergo veteris hominis, siue opera carnis excludit,vt perinde sit,quasi dicat, neque ex operibus secundum natiuitatem carnis, siue ortum naturalem, quæ nō sunt bona secūdum spiritum, sed ex operibus Dei, cuius efficimur filii secundum spiritualem ortum,quod statim declarat magis,subiungens,creati in bonis operibus, quæ præparauit Deus,vt in illis ambulemus, non enim nos nihil agimus, sed potius cooperamur, quod scriptura dicere solet ambulare cum Deo, quod vnum à nobis requirit Deus,vt ait propheta Micheas. Vt ergo Pharao,& Aegyptii fuerunt vasa iræ,non quidem nihil agendo,sed potius populum Dei impie,& crudeliter affligendo, sic vasa misericordiæ non fiunt nihil operando,sed potius operādo opera Dei, hoc interest, quód horum opera Deus parauit, imo ante constitutionem mundi præparauit,illorum vero non Deus,sed ipsi pararunt, & perfecerunt, hoc enim significat aptata, in interitū, aptata inquam à seipsis suis malis operibus. Sed absoluamus locum Apostoli coeptum,se-

quitur enim quos vocauit non solum ex Iudæis, sed etiam ex gen-
bus. Sustinuisse dicit vasa iræ diuinæ, idest, Aegyptios propter ele
ctos non solum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus, sustinendo enim
Pharaonem, & Aegyptios, dum populum Hebræorum tyrannide
affligerent, effecit Deus, vt conuerterentur ad Deum Hebræi, vt
supra iterũ dixi, & vt ipse dominus recordaretur pacti, quod cum
Abraam fecerat, de vocandis per fidem, ad benedictionem promis-
sam Abraæ, & filiis eius secundum spiritum, vocandis dico non so-
lum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus, sicut scriptum est, Patrẽ mul
tarum gentium cõstituam te, & sicut Oseas ait, quem hic citat Apo
stolus, vocabo non plebem meam, idest, gentilium, plebem meam.
Quomodo vero vocet, vtrum ex operibus, an nõ, ex eodem quoq;
Osea intelligi potest, dixerat enim paulo supra, Desponsabo te mi-
hi in æternum, desponsationem in Christo prędicens, de qua Apo
stolus ait, despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere,
quæ est desponsatio æterna, desponsauerat enim prius populum
vsque ad tempus correctionis, & desponsauerat quidem Moisi,
idest, legi, quæ non erat satis ad copulandum perfecte cum Deo,
quod quidem reseruabatur Christo, Sequitur, & desponsabo te mi
hi in iudicio, & iustitia, & misericordia, hic est cultus, & ornatus
eius animæ, quam sibi desponsat Christus, hæc dos, quæ Dei donũ
est, fides inquam, & opera bona, quæ nomine iudicii, & iustitiæ, &
misericordiæ significauit. Et paulo post, & vocabo non plebem
meam plebem meam, quod perinde est quasi diceret, non sponsam
meam vocabo sponsam meam. Vocat ergo ex fide, & operibus bo
nis ad gratiam desponsationis, & coniugii spiritualis, atque vnionis,
ꝙ si ex his vocat, ex his ergo prædestinauit vocandos ad gratiam
istam eos, quos huius mundi opera facturos præcognouit, quod
fuit nobis propositum docere, quodq; me satis hactenus docuisse,
& demonstrasse spero, & confido. Quia vero paulo ante dixi, ca-
lumniatorem istum, quem Paulus introducebat, ex veris scripturæ
sanctæ propositionibus, sed male intellectis, vera item, sed male in-
tellecta concludere, reliquum est, vt in extrema parte priusquam fi-
niam, nequid hic requiratur aliud, ne'ue quis erret, explanem, quo
illa quidem sensu vera sint, tũ sumpta, tum conclusa, & quo rursus
falsa. Aiebat ergo ille, cui iniquus videbatur Deus, ꝙ alios diligeret,
alios odio haberet, Moisi enim dixit scriptura, miserebor, cuius mi-
sereor, & misericordiam præstabo, cui præsto, ergo non est volen
tis, neque currentis, sed Dei miserentis. Videamus primũ quo hæc


ſenſu vera ſint, vt quemadmodum, qui hic calumniatur, illa acci-
piat, intelligamus, ſumptus eſt locus ex Exodo, cuius interpretatio-
nem, ne ſine auctore, & quidem graui, & antiquo loquamur, repe-
tam ex Procopio Gazæo paulo altius. Dixerat ergo Moiſes, Oſtē-
de mihi gloriam tuam, in quo ait hic auctor, aut filium videre opta
uit, quem ſymbolice in rubo, & monte cognouerat, de quo dictum
eſt, videbitur gloria domini, aut exercitum angelorum, qui eum cir
cunſtetit. Itaque vt Philippus (inquit) naturam patris videre expeti-
uit, ſic Moiſes, quem ſymbolice nouerat, naturæ eius characterem
vt videat, petit. Videamus quid dominus reſponderit. Ego (inquit)
prior te gloria mea tranſibo, ſic enim eſt in ſeptuaginta, quod pe-
rinde eſt, ait Procopius, quaſi diceret, cum ego, qui prior te ſum (cū
ſim ex æternitate, tu vero mortalis, & factus) tranſibo habens glo-
riam meam, ſequeris tu tanquam ſeruus dominum, & vt poſterior
priorem, vnde ſubiungit, ante te vocabo nomine domini, præibo,
(inquit) vocans poſt me, vt dominus, tum te, tum alios me dignos,
quando miſerebor, cuius miſereor, hoc enim ſtatim ſequitur, quod
perinde eſt, quaſi diceret, quando miſerebor vocans ad gloriam, de
qua proxime dixerat, tranſibo habens gloriam meam, cuius miſe-
reor vocans nunc ad gratiam, de qua etiam paulo ſupra dixerat, in
uenisti gratiam coram me, gratiam dicit iuſtificantem, quos enim
iuſtificauit hos & glorificauit. Quæ vero iſta miſericordia hoc lo-
co intelligenda ſit, admonuit etiam idem auctor notans diligenter,
quam multipliciter in ſcripturis verbum miſericordiæ dicatur. In
poenitentia (inquit) peccatorum, vt illud Miſerere mei Deus ſecun
dum magnam miſericordiam tuam, & ſecundum multitudinem mi
ſerationum tuarum dele iniquitatem meam. & Paulus, Miſericor-
diam conſecutus ſum, quia ignorans feci, veniam ſignificat hic mi-
ſericordia. Alia eſt miſericordia, quæ accedit miſerentibus, vt illud,
Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.
Alia miſericordia dicitur in iis, qui cōſcii ſuæ infirmitatis, vt aliquid
boni perficiant, totam fiduciam in Deo collocant, qui operatur in
nobis velle, & perficere pro bona voluntate, non enim eſt volen-
tis, aut currentis, ſed Dei miſerentis, ſic dicit ſcriptura, Miſerere mei
Deus, quia in te confidit anima mea, Alio etiam modo dicitur mīa
in iis, qui Deum amant, & mandata eius faciunt, vt illud. Qui facit
miſericordiā in millia ex toto corde diligentibus eū, & mādata eius
faciētibus. Dicit̄ pręterea miſericordia in iis, qui habent rectā Dei
cognitionē, vt illud, Extende miſericordiā tuā cognoſcētibus te, &

iustitiam tuā rectis corde. Cuique horū dicit æterna misericordia, miserebor tui,& ipsi cum preces adhibent Deo,cito (inquiunt)anticipent nos misericordiæ tuæ domine,& illud, & tu domine,ne elōgaueris à me misericordiam tuam . Adhæc, dicitur misericordia, quā tribuit indignis ob nimiam bonitatem suam faciēs oriri solem super iustos,& peccatores,qua misericordia plena est terra. Postremo subiungit,alia est misericordia ἐκ τοῦ ἐφ' ἡμῖν, idest,ex eo, quod est in potestate nostra,de qua misericordia scriptum est,miserebor, cui misereor. hactenus Gazæus. Miserebor ergo(inquit) vt iterum repetam,vocando ad gloriam,cuius misereor vocando ad gratiam iustitiæ, vocat autem eos, qui per fidem , & opera bona vocantem sequi volunt, quod est in eorum potestate positum . Quod autem sequitur,miserationem præstabo,cui præsto,non est aliud re diuersum ab eo,quod dixerat,miserebor,cuius misereor,sed potius dictū est causa amplificandi misericordiam Dei,vt illud in psalmo secundum magnam misericordiam tuam,& secundum multitudinem miserationū tuarū, magna enim misericordia opus est in magno peccato,& multiplici misericordia, siue miseratione in multis peccatis. Ergo calumniator iste sic accipiebat dictum miserebor,cuius misereor,quasi misericordia ista nō esset,vt aitProcopius Gazęus ἐκ τοῦ ἐφ' ἡμῖν,idest, quasi non penderet ex voluntate nostra, sed quasi solius Dei esset,nihil nobis operantibus,quod erat falsum. Atq; ita falso item concludebat,ergo non est volentis, neq; currentis,sed Dei miserentis,quasi nos non curramus,cum scriptum sit,sic currite,vt comprehendatis,& illud tam bene currebatis?& rursus, ego autem sic curro &c. Quare vt illud verissimū est,quod ait scriptura,miserebor,cuius misereor ,ita vt intelligamus,eius misereri,qui gratiæ Dei miserentis non deest secundum potestatem voluntatis suæ, sic etiā quod idem rursus cōcludebat,ergo non est volentis,neque currentis,verissimum est,si sic intelligatur,quasi dicatur,non est ex volente,tanquam ex volente, neque ex currente tanquam ex currente, quasi ex nobis secundum naturam velle bonum,aut currere ad bonum possimus,cum sit potius Dei miserentis. Ipse enim dat desiderium,& idoneitatem ac vires currendi,& cursum consumat,ex quo estomnis nostra sufficientia,sicut Apost.ait,Qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate. Rursus opponebat accusator ille aliam scripturam , quæ dicit Pharaoni, In hoc ipsum excitaui te,vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuncietur nomē meum in vniuersa terra, quæ scriptura non est intelligenda, quod

idem Apostolus interpretatus est, quasi Deus Pharaonicæ illius obstinationis auctor fuisset, vt accusator iste velle videbatur, in quo vehementer errabat, cum illum potius in multa patientia sustinuisset, bonitate sua ad poenitentiam, & cordis obedientiā adducens, antequam funditus interiret. Ex quo rursus concludebat ille, Ergo cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat, quodquidem verissimum est, si vt scriptura dicit, indurari à Deo, ita dictum accipiamus. Non enim dicit induratum esse à Deo, quasi Deus indurationis illius auctor fuisset, & quasi id voluisset προηγουμένως, idest, antecedenter, absit. Quemadmodum enim sic indurabat, quem per Moisen accusabat, quòd Deo non pareret? monebatq; his verbis, ne addas adhuc decipere, nec dimittas populum? aut quomodo non potius indurabatur secundum voluntatem suam liberam non admittens vllam moliendi sui rationem? qui, dum durabat plaga, populi dimissionem promittebat, cessante vero, rursus indurabatur, quæ quidem erant mutationes liberæ voluntatis. Indurasse ergo illum dicitur Deus, quia vt sanctus Eustathius Antiochenus in homilia in Genesim scripsit ἡ ἀνοχὴ τῶν μαστίγων αἰτία τῆς πωρώσεως αὐτῷ ἐγένετο, idest, plagarum remissio causa fuit illi coecitatis, significat hic auctor induratum à Deo dici, quia patientia & benignitate Dei in plagis remittendis abusus sit, quod ipsa scriptura (inquit) significauit aperte, cum ait, Videns autem Pharao φ esset requies, aggrauauit cor suum, & nō audiuit eos. Sic etiam dicitur Deus indurasse aliquando Hebræos κατὰ τὴν ἀνοχὴν, idest, secundum sustinentiam. Dicit enim Esaias c. 63 in persona populi impoenitentiam suam præteritam deflētis. Vbi est multitudo misericordiæ tuæ, & miserationum tuarum ὅτι ἠνέχου ἡμῶν, idest, quia pepercisti nobis, deinde subiungit, Quare se duxisti nos de via, & indurasti corda nostra, ne timeremus te? Indurasse dicit, quem proxime dixerat pepercisse, siue sustinuisse, vt intelligeremus indurasse κατὰ τὴν ἀνοχὴν, idest, secundum sustinentiā, dum enim parcebat Deus Hebræis, illi rursus patientia, & tolerantia illius abutentes continuo ad apostasim, & murmurationem redibant, vt cum ex Exodo, tum ex ps. 105. intelligi potest. Idcirco populus memor suæ indurationis, & impoenitentiæ præteritæ ex abusu sustinentiæ Dei, per personam prophetæ precatur Deum, vt hostibus populi Israel nō parcat, sed potius deleat. Itaq; subiungit, si aperueris coelū, tremor apprehendet, & mōtes liquefiēt, sicut

cera ab igne liquefit,& cõburet ignis aduersarios, & quæ sequunt. Huiusmodi ergo induratio,& impoenitẽs cor secũdũ electionem propriæ voluntatis, Deo alioqui multiplici misericordia, & sustinentia vtente,causa est reprobationis & odii diuini. Illud autem,in hoc ipsum excitaui te,& quæ sequuntur, idem Eustathius interpretans,quæ(inquit) in scriptura inter se pugnare videntur, non rationibus,sed exemplis soluenda sunt. Quare vt optimi (inquit) medici vtilitati hominum studẽtes damnatos ad mortem secant, vt aliquid vtile hominibus per damnatos inueniant, sic sapientissimus Deus per Pharaonem immedicabiliter peccantem magna signa ostendit illum quidem puniens,posteros vero curans,& supplicium illius in salutis materiam vertens. hactenus Eustathius. Nos vero Otho Cardinalis benignissime finem hic faciemus eorum,que de Electione diuina, & eius causis, scripturas sanctas quanto studio, & diligentia potuimus sequentes, scripsimus. Si quid assecuti sumus, eius est, qui non dat ex mensura spiritum, vt in quo sint omnes thesauri scientiæ, & sapientiæ absconditi, qui diuidit vnicuique pro vt vult, qui cum patre, & spiritu veritatis est benedictus in sæcula.

Amen.



Luthranoz cōmunes errores ī argo Iustificois

Sp. cōfundūt opa legis cū opib. fidei . 14 b
Putant primā iustitiā ex sola fide cōsistere 16 a

Explirata scripture loca
veteris testi.

Abraha ex opib. iustificaty 16.or.

Noui testamenti.

Exa eoz q. fide salui facti sunt
13.a.

De Cananea fol 13.b
De Hemorroissa. Ibid.
De Latrone 13.a.19 a.

de Rhaab 17 b

Qui reddit Marbl. 18 b.

fol. 13.b ps. 31. Beati quoz re. f. iniq.

Quid faciemus ut operemur opa dei
Joa. 5. 14 b.

